DILUCIDATIONES

AD

THEORETICAM

RELIGIONIS CHRISTIANAE

PARTEM

ITA UT LIBELLI

A

D. S. F. N. MORUS V. C.

EDITI ET,

EPITOME THEOLOGIAE CHRISTIANAE,

INSCRIPTI

POTISSIMUM RATIO SIT HABITA

SCRIPSIT

D. IOANN. HENR. TIEFTRUNK

PROFESSOR PUBL. ORD. IN ACAD. HAL.

VOLUMEN II.

BEROLINI 1793.

SUMTIBUS FRIDERICI VIEWEG SEN.

Digitized by Google

Digitized by Google

DILVCIDATIONVM
AD
THEORETICAM RELIGIONIS CHRISTIANAE PARTEM.
LIBER POSTERIOR.

INTRODVCTIO

De Methodo religionem chriſtianam tradendi cum populari tum ſubtili, deque fundamento huius religionis univerſo, et inde aeſtimandis articulis, qui dicuntur fundamentalibus etc.

Ieſum in tradenda ſua diſciplina ſic verſatum eſſe, ut alios palam, privatim alios erudiret, hosque eſotericos quaſi ſibi adſciſceret diſcipulos, illos exotericos, ubicumque poterat, edoceret, ſupra iam diximus. Fluxit inde uſus nominis *myſteriorum.* Quae vox non ſtatim et ubique rem prorſus haud intelligibilem ſignificat, ſed occultam quamque rem et vel paucis vel nemini adhuc perceptam. Quem admodum

Digitized by Google

Paulus doctrinam de univerſitate religionis divinae per Chriſtum revelatae ſic dicit myſterioſam ut nemini iam Iudaeorum in mentem venerat, eſſe in conſiliis fatisque, ut omnes gentes aeque ac Iudaei beneficiorum divinorum pari modo participes fiant; non quod haec praeceptio omnem omnino ſuperet hominis intelligentiam, ſed quod praeter ſpem opinionemque eventura ſit.

Talia cum multa eſſent, quae populo uno ſtatim ore tradere periculoſum fuiſſet, ſatius Ieſus duxit, talia pro tempore vel tacere vel ſimilitudinum involucris ſignificare. Id quod etiam apud familiares ſuos ſic tenuit, ut ne hi quidem ſubita revelatione obruerentur, ſed lente ſenſimque erudirentur. Omnia vero tempore ſuo Ieſus voluit innoteſcere, quare quidquid ad rem pertinuit religionis, illud amicis ſuis vel ipſe poſt demum et opportune tradidit, vel iisdem ab adiutore alio tradendum curavit.

Neque tamen hoc ſic capi volumus, ut nihil ſit in praeceptis conſiliisque divinis, cuius plena nobis iam non conceſſa ſit intelligentia; imo potius ſunt quaedam tam obſcure ſignificata, ut etiamnum vel peritiſſimi religionis interpretes non ſatis percipiant. Credimus iſta talia non eſſe, quae omnem omnino fugiant interpretationem; fierique poſſe ut Deo adiuvante vel in hac iam vita explicentur vel poſt mortem certe nobis pleniſſime pateſiant.

Digitized by Google

Hoc equidem certe mihi perſuadeo, nullum eſſe in religione myſterium, cui non uberrimus et ſublimis ſignificatus ſubſit; quare praeſtare iudico a talibus rebus minus explicatis iudicium abſtinere audax, quam fervida mente aut reſpuere aut ſtultitiae accuſare.

Differt autem illa ratio, per gradus diſcipulos ad eruditionem ſenſim et caute evehendi ab hac, quae in methodo verſatus duplici illa, altera populari et ad captum omnium accommodata, ſubtili altera et eruditis ingeniis inſerviente Ieſum ſcimus populariter docuiſſe, absque captu populi et amicorum non receſſiſſe, niſi cum prudentia propter ingeniorum tarditatem haec illa ſuaderet aut tacere aut leviter tangere aut ſimilitudinibus involvere. Apertius iam docuere apoſtoli. At vero et iidem iam paſſim a populari ſimplicitate ad ſcholarum eſcenderunt ſubtilitatem. Qua in re prae ceteris excellit Paulus, vir diſciplinis Iudaeorum apprime inſtitutus. Ipſe nonnumquam fatetur ſe paſſim intelligentioribus ſcribere, non rudioribus et ad acrem diſciplinam parum inſtitutis.

Movet hoc me ut pauca de duplice dicam docendi methodo. Aliter ſe habet cum populo, aliter cum viris artium et litterarum peritis. Illi fiat inſtitutio facilis et accepta, resque in eo verſetur omnis, ut animus apto colluſtretur lumine vitaque et mores corrigantur. Cum his vero edoctis docte res agatur. Etenim vel eos,

Digitized by Google

qui non niſi populari ſe dicant inſtitutioni, admodum decet eſſe eruditos, utriusque tenere et popularitatis et ſubtilitatis virtutes. Gravior autem res exiſtit, cum inter eruditos diſceptatur.

Longiſſime autem iuſta tractandi ſubtilitas a ſpinoſa differt ſcholarum ſcurrilitate, quamquam nomen ipſum haud diſplicet; quando quidem ſcholae ſit, acute et ſubtiliter diſputare et ſibi ea ſervare, quae populi non ſunt.

Male propterea ii rebus conſulunt noſtris, qui formulas ſcholaſticas plane exulare iubent, omniaque etiam inter eruditos ſermone populari tractari volunt. Timendum eſt, ne pro finita dicendi ratione inepta invaleſcat loquacitas; doctique diſcant multis verbis nihil dicere.

Neque tamen methodus ſcholaſtica poſtulat ut in verba iuremus magiſtri, ut longis vocum definitionibus, ineptis rerum diſtinctionibus, aridis argumentorum demonſtrationibus inhaerentes ingenioli vires oſtentemus, ſed iſta hoc ſibi vult ut res ſubtiliter cognoſcantur et tradantur. *Scientificam* hanc dicunt inſtituendi rationem.

Ad hanc quidem requiritur, ut aliquis rerum divinarum peritus rectam calleat ſacrarum litterarum interpretationem, ut theoremata, quae traduntur, perceperit; at non ſatis hoc eſt, maximaque iuſti doctoris laus in eo cernitur, ut apto ſtudeat ordini, idque agat, ut diſciplinam

Digitized by Google

conficiat *ſyſtematicam.* Quae vox longe gravius quid ſonat, quam plerumque creditur.

Atque ad ſyſtematis quidem virtutes pertinent in dicendo ſubtilitas et perſpicuitas, interpretationis veritas et rerum naturalis ordo; quod autem inprimis diſciplinam efficit ſyſtematicam, eſt *neceſſarius rerum nexus partiumque inter ſe per principium cohaerentia.* Eſt enim ſyſtema totum aliquod per notionem generalem cohaerens neceſſariaque in ſe unitate conſpicuum, eique opponitur aggregatum, quod fortuita partium acceſſione cumulatur.

Equidem non nego poſteriore aevo a viris doctis in eo elaboratum eſſe, ut doctrinam ſcientificam a populari diſcernerent, illam eruditis hanc populo inſtituendo ſervandam eſſe ſuaderent, at longe graviſſimum adhuc reſtat, ſupereſtque ut primam ſyſtematis virtutem, quae principii neceſſitudine cernitur, ſequantur. Hucusque rei obſcura magis ſuſpicio quam clara per partes intelligentia viros pepuliſſe videtur. At etiam neceſſitatis ſenſus et agnitio iam laudabilis eſt.

Rem ſic expedire tentarunt, ut theologiam a religione diſcernerent, inepte ſane, niſi apte fiat ſi quis verbis praeter vim et ſenſum ſuum abutatur. Eſt enim theologia pars religionis atque inprimis pertinet ad unam diſciplinam religionis tum ſubtilem tum popularem. Quare ſi res diverſae ſuis cognominandae ſunt nomini-

bus, diſciplinam religionis, quae ad eruditos pertinet, dicamus *ſubtilem*, quae ad populum, *popularem*. Utraque ut habet de religione ita etiam de theologia, differunt autem a ſe ad methodum tractandi, modum proponendi, rerum argumentorumque delectum. Tali modo, ut rem exemplo illuſtrem, doctrina popularis enunciatis acquieſcit, quorum rationes et cauſas ſcientiae ſubtilitas alte quaeſivit et evicit.

Subductis rationibus methodos placet ita ſignificare. Alteram diſtinctionem ab exemplo Chriſti prudentia non minus quam ſapientia inclareſcentis iubet deſumere. Initiatos ille a populo ſegregavit, ſuosque et exotericos et eſotericos habuit ſectatores; illis ſcitu neceſſaria et ad captum accommodata tradidit, plenam inſtituti ſui rationem vel tacens vel ſimilitudine adumbrans; his ſenſim quidem et caute, clarius tamen et apertius vim conſilii divini praeivit, plenamque tempore ſuo divinorum myſteriorum notitiam conceſſit. Fuit haec inſtituendi ratio ſapienter optata et conſervata, pertinuitque ad notitiam dogmatum per gradus convenienter impertiendam, temporibus ſuis admodum utilis et neceſſaria; nec multum dubito, quin hinc acciderit, ſapienter quidem et per rerum neceſſitatem, ut multa etiamnum inveniantur minus nobis perſpicua et intelligibilia. Nec porro poſſum quin fatear, eamdem methodum temporis ac loci ratione habita etiam nunc non plane

Digitized by Google

eſſe negligendam. Poterit nonnullarum rerum plena intelligentiâ eruditis tam diu bene reſervari, quam imprudentiae foret, eas in vulgus emittere.

Ab hac religionis capita *divulgandi* ratione differt alia *tractandi* et proponendi methodus; quae ad captum vulgi accommodata eſt *popularis*, ſcholis eruditorum inſerviens eſt *ſubtilis*. *Illa* circa enunciata verſatur, eaque proponit, divulgat et ad animi eruditionem morumque correctionem transfert; *haec* enunciatorum rationes inquirit, inque ſyſtematica rerum ſcientia elaborat. Sic res diverſas ſuo quasque et apto nomine placet compellare.

*   *
*

Venio iam ad id cuius cauſa huc usque diſputavi. Eſt enim rationis humanae hoc proprium, ut, quidquid teneat, id principiis denique concludere conetur. Movit, ni fallor, haec indoles viros rerum divinarum peritos cum primum tentarunt enunciatorum religionis quaſi compagem conficere et de maiore minoreve quorumdam dogmatum laude inquirere. Utrumque primum eſt conamen religionis praecepta in principio concludendi et ſyſtematicam formam efficiendi. Quod etſi hucusque nemo iam conſecutus eſt, non impedit, quo minus obſcurum mentis deſiderium agnoſcamus et probemus.

Digitized by Google

Ante quam de iuſto rerum ſyſtemate condendo cogitari, deque enunciatorum (articulos vocant) dignitate et neceſſitudine quaeri poteſt, requiritur, ut de principio quodam primo et omnia complectente conſtet. Videbimus de hoc, cum primum re hiſtorica et exegetica quaedam praemiſerimus.

Quaeritur de fundamento religionis totius. Occaſionem quaeſtioni dedit vel inſitus animo niſus ad principia rerum cognoſcenda; vel quod in ſacris litteris nominis ϑεμελιου ſaepenumero fit mentio. Quae vox ut primam etiam aedificii partem ita prima doctrinae alicuius rudimenta et initia ſignificat, deque homine uſurpata auctorem innuit rei de qua agitur. Tali modo Ieſus ϑεμελιον dicitur, id eſt, auctor diſciplinae ſuae, fundator et exſtructor.

Diſerti et ſolliciti ſunt apoſtoli in tuenda praeceptione, Ieſum unum et perennem habendum eſſe auctorem diſciplinae ſuae, quare Paulus (1 Cor. 3, 11) alium negat auctorem religionis divinae profitendum eſſe praeter Ieſum Chriſtum ſtabile ac firmum diſciplinae ſuae fundamentum; eiusque vetat laudem communicari cum aliis, aliosque particularium eccleſiarum auctores ſalutari; μεμεριςαι, inquit, ὁ Χριςος? 1 Cor. 1, 12 — 13.

Ab hac ϑεμελιον ſignificatione differt illa, quae eſt de primis in religionis diſciplina notitiis. Quod diſcrimen ut denotarent, fundamen-

Digitized by Google

tum illud, quod eſt Chriſtus auctor religionis, dixere *reale* ſeu *ſubſtantiale;* hoc quod de initiis eſt diſciplinae, dixere *doctrinale* ſeu *dogmaticum.* Cui additur fundamentum *organicum* ſeu univerſa religionis doctrina quatenus in ſacris litteris comprehenditur; quibus quaſi inſtrumentis Deus utitur ad ſummum bonum in homine producendum.

Mittimus cetera et iam ei praeſertim immoramur fundamento, quod eſt cognoſcendi et iudicandi cunctum diſciplinae chriſtianae ſyſtema.

Cognata haec eſt quaeſtio cum ea quae de analogia ſeu regula fidei movetur. Nomen fluxit ex Rom. 12, 7. ubi κατα την ἀναλογιαν idem quod κατα μετρον (πιςεως) v. 3. pro ratione et modo ſuae de religione cognitionis et perſuaſionis. At vero quamquam apoſtolus hoc loco nil habet de univerſa diſciplinae ſanctae regula, hoc non impedit quo minus res tamen ipſa in examen vocetur, ſedulaque digna ſit expenſione. Cavendum autem eſt, ne vitii, quod in petitione principii verſari dicitur, merito arguamur. Factum enim eſt, ut quot fuere chriſtianorum ſectae, tot efformarentur regulae fidei; atque ex ſua quaeque ſtabilita formula cetera iudicaret et expenderet dogmata. Ante omnia videndum eſt de una et firma regula tum fundata in ſacris monumentis, tum apta ad cetera quaevis aeſtimanda. Qualis cum primum omnium conſenſu

Digitized by Google

chriſtianorum conſtiterit norma, tum ad eam licebit examinare, accipere reſpuereve.

Res igitur redit ad id, ex quo digreſſi fueramus, quaeriturque: ſitne aliquod fundamentum diſciplinae? ubi et quale?

Ieſum auctorem diſciplinam ſuam fundaſſe et exſtruxiſſe, nemo eſt, quin largiatur; de fundamento igitur perſonali, ſeu de auctore, inter omnes conſtat. Reſtat ut de fundamento doctrinae, regula fidei, principio cognoſcendi et examinandi dicamus.

Graviſſima haec eſt quaeſtio, praeſertim tum, cum de praeceptis fundamentalibus quaeritur; absque enim fundamenti perceptione qui, quid ſit fundamentale, quid minus, velis finire? Miror viros noſtri temporis graviſſimos hanc difficultatem non ſenſiſſe, certe eos non moviſſe ut vires tentaverint. Haud enim vereor ne quis ſit, qui chriſtianae diſciplinae ſimplicitatem a tali, ſubtiliore, fateor, quaeſtione, dicat abhorrere. Namque vel ſimpliciſſima inſtitutio, ſi vera eſt, ad acriora debet poſſe revocari ſtudia et revocanda eſt, ubi inter eruditos erudite res tractatur. Nihil autem erudite tractatum ſatis facit finibus quaeſtionis, niſi tum, cum principiis res concluſas et confectas eſſe intelligimus. Quare quoquo te converteris, ultimum, in quo haerebis, hoc eſt, ut fundamento tam ſtabili quam univerſo cetera omnia ſuperſtruas.

Digitized by Google

Quaeritur autem hic de re data et in facto poſita; quapropter non licet ingenio indulgere et pro lubitu effingere vel rationis purae praevalida argumentatione rem conficere velle. Primum quod in cenſum venit hoc eſt, ut conſtet: an in ipſis ſacris monumentis fundamentum aliquod praebeatur, vel ſaltim iuſta argumentatione evinci et colligi poſſit. Quod ſi eſt, tum rationi ſuas in illo vires licet experiri, cunctamque diſciplinam ad *σωφρισμον σωτηριας* efformare.

Atqui in promtu ſunt clara Chriſti verba, quibus fundamentum totius diſciplinae non exprimitur ſolum, verum diſerte etiam declaratur tale, quod ſit primum et primarium. Matth. 22, 35—40. Marc. 12, 28—33. Luc. 10, 25—28. Phariſaeorum enim quidam litterarum legisque peritus Ieſum experturus interrogat: *διδασκαλε, ποια εςι πρωτη πασων ἐντολη?* ſeu *ποια ἐντολη μεγαλη εν τῳ νομῳ?* Recitat deinde Ieſus verba Deut. 6, 4. 5. „*ἀκουε, Ισραελ, κυριος ὁ Θεος ημων, κυριος εις εςι. και ἀγαπησεις κυριον τον Θεον σου ἐξ ὁλης της καρδιας σου*" — *ἀυτη*, Ieſus inquit, *πρωτη και μεγαλη ἐντολη. δευτερα δε ομοια αυτη*: (3 Moſ. 19, 18.) „*ἀγαπησεις τον πλησιον συν ὡς σεαυτον.*"

Clarum quidem eſt, haec praecepta iam ex Moſe innotuiſſe vimque legis habuiſſe. Hinc Ieſus nec primus iſta protulit, nec nova prorſus exiſtimanda ſunt. Patet etiam quaeſtionem in locis evangeliſtarum proprie et primum huc

Digitized by Google

redire ut indicetur, quae prima ſummaque praeceptorum Moſaicorum lex ſit cenſenda. Cui Ieſus ſic ſatis facit ut amorem erga Deum unum et verum, mutuamque inter homines caritatem prae omnibus imperet ſanciatque.

Haec quae forte obiiciuntur, damus, dicimus vero etiam, Ieſum, ut iſta graviſſima inter leges moſaicas praecepta declarat, ita ipſum eadem in ſuam rem transtuliſſe et principia diſciplinae ſuae feciſſe. Scimus enim primo, Ieſum ſe ipſum fateri non veniſſe ut cunctam Moſis inſtitutionem abrogaret, ſed ut delectu habito perficeret; hinc antiquis praeceptis ſic ſuffragatur ut vel integra repetat, vel corrigat, abſolvat et ſua faciat. Vide inter alia Matth. 5, praeſertim v. 43 ſeq. Quare cum Ieſus legem amoris delegerit, explicuerit et ſanxerit, hoc idem eſt ac ſi ſuam iſtam fecerit.

Magnam quoque ut ceteris legi iſti laudem et vim dicari legimus in veteri inſtrumento 5 Moſ. 6, 1 ſq. et alibi; at nemo, neque Moſes neque prophetarum quisquam iſtam tam ſanctam, primam et principem ſtabilivit, quam Chriſtus; ne dicam mutuum hominum erga ſe amorem per Moſaicam inſtitutionem non tam late patuiſſe, imo vitio quodam inquinatum fuiſſe, cum odium adverſus inimicos ſtatueretur; quem errorem Ieſus diſerte arguit et corrigit. Matth. 5, v. 43 ſeq.

Digitized by Google

Ieſus vero legem iſtam, quae in amore cernitur erga Deum verum hominesque, deſumtam ex inſtitutione Iudaeorum antiqua emendavit, pleniſſime expoſuit, itaque emendatam et expoſitam ſuam fecit, diſerteque declaravit: „ἐν ταυταις ταις δυσιν εντολαις ὁλος ὁ νομος και οἱ προφηται κρεμανται: in horum duorum praeceptorum lege cuncta Moſis prophetarumque diſciplina pendet ſeu continetur.“ Quod aliter ſic concludit, ut dicat: „μειζων τουτων αλλη ἐντολη ουκ ἐςι. Maior his praeceptionibus alia non eſt. Ita etiam rem cepit legis peritus, qui Chriſto ſuffragans „το αγαπαν τον θεον — και πλησιον πλειον εςι, inquit, παντων των ὁλοκαυτωματων και των θυσιων“ cuique Ieſus aſſentiens reponit: „ὀυ μακραν ἐι ἀπο της βασιλειας του θεου“.

Nemo, credo, his perpenſis dubitabit, Ieſum hanc legem a ſe correctam et ſuam feciſſe, et primam ſummamque non moſaicae ſolum inſtitutionis, ſed ſuae quoque diſciplinae declaraſſe. Hoc enim *vel* tecte verbis ineſt Phariſaeo, iſtam legem laudanti ſummam omnibusque ſacrificiis maiorem praeſtantioremque praedicanti, dictis „non longe abes a regno divino“ Marc. 12, 33 — 34. *vel* apertius elucet ex eo, quod Ieſus addit: „τουτο ποιεῖ και ζησει.“ Cuius dehinc legis obſervationem conditionem facit unam et ſummam beatitudinis ſperandae et conſequendae. Accedit quod Ieſus in iſta lege, diſerte exponit, κρεμασθαι ὁλον τον νομον και τους

προφητας; hoc eſt, totam iſtam inſtitutionem, cuius ille emendatorem ſe et perfectorem pollicitus erat; ex qua igitur, quidquid ipſe correctum in ſuam transtulerat rem, illud eo ipſo ſuum fecerat. Quapropter ſummam illam etiam ſuae diſciplinae indicat eſſe legem et normam tum faciendi tum ſperandi. His qui ſibi perſuaderi haud patitur, is adeat et perlegat omnes Chriſti, qui habentur, ſermones et vel curſoria lectio docebit, omnes et ſingulas eius inſtitutiones eo denique redire ut amor in Deum hominesque efficiatur. Percurrat omnes et ſingulas Apoſtolorum orationes, argumentationes, hortationes; et cunctos finire videbit in ſancta numinis pietate mutuoque hominum amore. Toti in hac re ſunt Ioannes et Iacobus et quavis pagina hanc domini ſui legem laudant et extollunt; rei veritate recens commotus exclamat Petrus: ſe nunc demum certiſſime intelligere, quemcumque, qui Deum pie colat recteque agat, eum unum gratum acceptumque eſſe Deo; quae quidem Petri ſententia tunc demum vim ſuam et lucem foeneratur, cum ad palmarem illam legem revocatur et iudicatur. Act. 10, 34—35. Et ſubtilis ille rerum divinarum aeſtimator Paulus apoſtolus qui apertius clariusque rem potuit exprimere quam dicens Rom. 13, 8 et 9. „ὁ γαρ ἀγαπων τον ἑτερον νομον πεπληρωκε — και ἑι τις ἑτερα ἐντολη, ἐν τουτῳ τῳ λογῳ ἀνακεφαλαιουται, εν τῳ: ἀγαπησεις τον πλησιον σου ὡς ἑαυτον.

Digitized by Google

Amore erga alios legi ſatisfacimus — et ſi qua alia ſit lex, ea in uno hoc praecepto, tamquam capite, comprehenditur." Qui quam magnifice de hoc praecepto primo ſentiat, vel ex eo patet, quod et ipſa fide ſpeque maiorem dicat amorem, hancque ante omnia efferat vel theoremata, vel animi dotes, dicendi facilitatem, faciendi praepotentiam etc. vid. 1 Cor. 12. et 13. Hinc *ἀγαπη* eleganter dicitur legis *πληρωμα*, *κεφαλαιον*. Rom. 13, 10. Atque *ἀνακεφαλαιουσθαι*, quod Chriſti verbo *κρεμασθαι* reſpondet; quid aliud ſibi vult quam rem exponendam ſummatim comprehendere, principium aliquod indigitare, ex quo, tamquam fonte, omnia cetera defluant, in quo caput omnis ſit rei; in quo ceterorum omnium vis et veritas pendeat. Ut, quemadmodum Chriſtus caput et fundamentum civitatis ſanctae eſt *perſonale*, ad quem unum et perennem dominum omnes omnium temporum locorumque cives revocentur (Eph. 1, 10. Coloſs. 1, 20. *ἀνακεφαλαιωσασθαι τα παντα ἐν τῳ Χριςω*, id quod, *απο καταλαξαι τα παντα ἐις Χριςον*) ita illa eius lex ſit caput et fundamentum *doctrinale*, ad quod omnia diſciplinae et ſyſtematis praecepta tamquam fontem ſuum redeant.

Nihil, opinor, me intermiſiſſe, ex quo appareat, a Ieſu ipſo principium et caput diſciplinae ſuae diſerte eſſe ſignificatum; idem ab apoſtolis bene perceptum, ſervatum et uberri-

Digitized by Google

me expoſitum eſſe. Hoc quaeſtioni ſufficit hiſtoricae; reſtat ut rem examini rationis ſubiiciamus, oſtendamusque, illud fundamentum diſciplinae vere inſervire ſcientiae. Chriſto non viſum eſt, modum popularitatis excedere, quem apoſtoli fere ſecuti ſunt, ſi Paulum exceperis, qui non raro ſcholae ſubtilioris ſpecimina edidit. Nemini tamen placuit religionis ſuae praecepta ad iuſtam revocare artem; in quo ſapientiam eorum magis admiror, quam deſidero. Eſt enim hoc humani laboris et ſtudiis poſterioribus recte relinquitur. Ex eo vero, quod iactis diſciplinae fundamentis non viſum eſt fundatoribus rem ad artem revocare, haud ſequitur eamdem ad iſtam revocari nec poſſe nec debere. Quodſi eſſet, perperam omnes fecere, quicumque verbum amplius, quam eſt in ſacris monumentis, proferre conati ſunt. Imo ea ipſa diſciplina, quae fundamenta prae ſe fert, deque ſumma rerum loquitur, his iam verbis ad acriora ſtudia provocat ſuos. Ut igitur verum eſt, religionem chriſtianam pendere in principio, ita non dubito, quin vires animi ad illud experiundae ſint.

Conſtat iam, diſciplinae chriſtianae ſubeſſe principium doctrinale ſeu ſcientificum; videndum dehinc eſt, an et quomodo illud ſcientiae vere inſerviat.

Principium, fundamentum ſeu lex ſumma et prima diſciplinae eſt ea, ex qua omnes ſy-

Digitized by Google

ſtematis partes iuſta argumentatione deduci, ad quam omnes revocare vimque et veritatem ſuam nanciſci poſſunt et debent; in qua cuncta ſunt κρεμαμενα et ανακεφαλαιουμενα; ut ſit ſyſtematis unitas partiumque inter ſe clara neceſſitudo.

Mei propoſiti iam non eſt, per omnes heic ire partes et omnium diſciplinae chriſtianae praeceptionum cum fandamento ſuo nexum ita demonſtrare ut ipſum iam ſyſtema, quale eſſe debet, conficiam. Eſt hoc ſingularis ſtudii opus, novum et a nemine adhuc tentatum, cui quidem me aliquando fortaſſis laborem meum impenſorum eſſe ita polliceor, ut nemini per hoc promiſſum conamina ſua praerepta eſſe velim.*) Paucis tamen, quae e re ſunt, vel hic defungi lubet vel per omnes operis partes ſignificare, ut ſaltim ubique fundamenti ſuperſtructi ratio aliqua habeatur.

Vidimus fundamentum illud eſſe authenticum, iam oſtendendum eſt, an et quomodo principio ſcientifico et ſcholarum adeo ſubtilitati ſatis faciat.

*) Nonnulla in libris germanicis quibusdam a me divulgatis, quae propaedeutica ſint, tentata eſſe, notum eſt; haec tamen rem non abſolvunt, opereque critico et mere rationali confecto incipit doctrinale, quod ea, quae in genere praecepta ſunt, ad ſingulas datae diſciplinae ſanctae partes transfert et ſyſtema conficit ipſum.

Amor erga Deum in ſenſuum deliciis haud cernitur; neque enim Deus ſub ſenſus cadit, nec talem propterea ſui amorem excitare poteſt. Ad obſequium dehinc redit Deo libenter praeſtandum. Deum amare eius eſt imperata libenter facere. Quod libenter fieri debet, neceſſe eſt ſponte fiat; quod ſponte debet fieri, neceſſe eſt cum indole ac lege ſpontaneitatis propria conſentiat. Hinc Deo libenter obſequi, eius eſt imperata facere *quia* cum propria animi autocratoris et autonomi indole ac forma agendi exacte conſpirant. Talis Dei voluntas legis inſtar imperatur, habet igitur vim officii, debebit igitur praeter id quod auctoritate ſancitur ſanctiſſimi, etiam fundamento niti officiorum univerſo. In naturis autem ſponte agentibus vel propterea quia ſponte agunt, nullum aliud eſt obligandi fundamentum, niſi id quod ex propria et univerſa talium naturarum ſpontaneitate, hoc eſt, libertate eiusque forma agendi neceſſaria proficiſcitur. Hinc quia lex amoris erga Deum ſpeciem prae ſe fert imperati; vel ex eo conſequens eſt, iſtam redire ad fundamentum obſtringendi univerſum, proprium, praeſens et unum. Iam officii ſanctitate viget id, quod lege libertatis abſoluta et univerſa imperatur, conſequitur dehinc, amorem erga Deum talia continere, quae ipſa coram mente libera ſancta et rata habentur; imperataque divina omnia exacte congruere cum imperatis animi ipſius ſibi legem dicentis et iniungentis.

Digitized by Google

Iam a Deo imperata facere eſt ſanctae mentis obedire legi, cui cum quivis animus per ſe ſit obſtrictus, ſequitur, Deum eum, qui eadem ſanciat et imperet officia, amandum eſſe, eaque, quae velit, libenter et libere poſſe obſervari.

Mutuum erga homines amorem ex neceſſaria animi ſponte agentis lege effici, non difficile eſt intellectu; ſequitur enim ex univerſitate legis, per quam quaeque natura intelligens tamquam perſona conſtituitur abſoluta, parique cum omnibus gaudens laude et dignitate; unde paria fluunt iura, paria officia, par officiorum erga quoscumque ſanctitas. Hinc mutuo ſe complecti amore haud de ſenſibili ſolum dicitur delectatione, quae imperari nequit, ſed officiorum quibuscumque praeſtandorum aequali ſanctitate. Ex quo ſimul patet amorem erga homines mutuum arctiſſime cohaerere cum amore erga Deum; Ieſumque veriſſime dixiſſe; illam huic ὁμοιαν eſſe legem, quod eſt, duas has praeceptiones uno coniungi, et ſanciri principio.

Lex dehinc Chriſtianae diſciplinae prima ſi in alia transfertur verba hoc ſibi vult, ut: ama Deum, hominesque ita ut te ipſum, ſit: ſic age ut libertatis abſolutae legi ſatisfacias, in eoque te imperatis Numinis perfectiſſimi ſatisfacere confide. Hoc modo palmaris illa Chriſti intelligitur notio de Deo patre, de patre amabili et amando, quippe cuius voluntas cum ſummo hominum bono integerrime conſpiret, de pneuma-

Digitized by Google

tica eius reverentia, ſincera pietate et fiducia. Res huc redit, ut quaeras, qui fieri poſſit, ut Deus ametur, hoc eſt, eius imperata *libenter* ab intelligentibus *ſponteque agentibus* naturis obſervetur. Fieri hoc nequit niſi poſita divinae cum ſummo hominum bono producendo voluntatis congruentia. Huic quaeſtioni ſatisfaciat, qui ſententiam meam infringere in animo habet. Cetera omnia facili negotio ſubſequentur. Patet autem iſtam praeceptionis de amore erga Deum hominesque legem aliter explicari non poſſe; ſi cum ſumma Numinis divini ſanctitate ſtare velis veram et neceſſariam (eſſentialem) naturae humanae laudem et finem.

Simul ex hoc elucet, fundamentum illud vere eſſe doctrinale et ſcientificum; nulla enim in univerſo diſciplinae chriſtianae ſyſtemate reperitur propoſitio, quin ex illa lege aut fluat, aut finiri et vim nanciſci genuinam poſſit. Neque enim in religionis ſyſtemate, quale eſt chriſtianum, et quod ex peculiari Numinis inſtrumento venit, ſtatim *omnia* praecepta et inſtituta talia ſunt, quae ex illo uno praecepto fundamentali, liquido et nullo negotio, fluant; id quod me indicente apparet; at nulla tamen eſt et eſſe debet vel praeceptio revelata, vel inſtitutio imperata, cuius vis, ambitus et finis ex illo fundamento nequeat intelligi, exponi et finiri. Tali modo, ut rem exemplo illuſtrem, ex principio illo doctrinali inſtitutum baptiſmi

Digitized by Google

et ſacrae coenae argumentando effici nequit, neque hoc in votis eſt et quaeritur; at ipſa illa inſtituta ad legem iſtam primam poſſunt examinari, hinc eorum vis, finis, neceſſitudo et nexus intelligi, explicari et finiri. Hoc illis dictum eſto, qui principii poteſtatem ignorantes legem Chriſti fundamenti doctrinalis et ſcientifici loco poni poſſe et debere, iniuſta cauſa negatum eunt.

Longius progredi et rem pluribus enucleare mihi in animo non eſt; patet iam, iſtam legem diſciplinae ſanctae principium eſſe et quomodo ſit; ſic nempe ut ex illa caeterae praeceptiones et inſtitutiones vel deduci vel examinari ſaltim et finire poſſint. Atque hoc quidem eſt *εν τῳ λογῳ κρεμασθαι* et *ανακεφαλαιουσθαι*; tali modo intelligitur, quomodo cuncta religionis praecepta, imperata ritusque in capite aliquo pendeant, ſummatim comprehendantur, expendantur.

Ea, quae diximus, ſi colligantur, ad has fere redeunt propoſitiones.

a. Habet diſciplina chriſtiana fundamentum ſuum, non *perſonale* ſolum ſeu dominum et auctorem unum ac perennem, qui eſt Chriſtus, ſub quem, tamquam caput, omnia nomina chriſtiana redigenda ſint, *ſed doctrinale* etiam ſeu principium ſcientificum.

b. Ieſus illud tale declaravit, expoſuit et ſtabilivit, quod *vel* ipſa, quae addit, verba

indigitant, cum illud eſſe primum et ſummum, illo nullum aliud dari maius, in illo totum pendere dicat ſyſtema moſaicum et propheticum, illoque obſervato finem bonorum effici teſtetur; *vel* cuncti apoſtolorum ſermones et inſtitutiones loquuntur, qui toti ſunt in illo explicando, extollendo et inculcando, qui in eo omnem ſemper finiunt concluduntque ediſſerendi operam ſuam; *vel* cunctae denique diſciplinae ſanctae ingenium.

c. Deſumtum quidem illud eſt principium ex veteri inſtrumento atque ad verba nec novum nec inauditum, correctum tamen a Ieſu et ſuum factum inque initio et fundamento omnis ſuae diſciplinae poſitum. Haec correctio, uberior expoſitio et fundamentalis conſtituta dignitas Ieſu eſt propria et nova.

d. Ieſus hoc principium voluit eſſe doctrinale, quod tale et diſerte declarat et apoſtoli eum ſequentes confirmant. Ineſt hoc vel ingenio legis, vel verbis Chriſti πρωτη — μεγαλη — κρεμασθαι — τουτο ποιει και ζηση — etc. *vel* magnificis apoſtolorum laudationibus et verbo proprio ανακεφαλαιουσθαι etc.

e. Et vero etiam eſt doctrinale inſervitque ſcientiae. 1) Poteſt enim ad artem revocari et cum ſubtiliori rationis purae for-

Digitized by Google

mula exacte conſentit, debet ad artem revocari, ut intelligatur, quomodo in illo tota pendeat diſciplina, ut, quae proponitur, ἀνακεφαλαιωσις perſpiciatur. 2) Scientificum ſic eſt, ut lex illa ad artem revocata et cum abſoluta libertatis lege exacte conſentiens ſit prima, ſumma, una; ut, quidquid in tota praecipiatur diſciplina, hoc in illa comprehendatur, ex illa efficiatur et finiatur; quae eſt principii ſcientifici natura ac indoles.

f. Atque ſi quid eſt in ſyſtemate chriſtiano, quod ex iſto principio argumentando erui nequeat, quod profecto eſt; hoc fundamenti laudem nequaquam infringit. Etenim ſunt quaedam in diſciplina Chriſti vel adhuc arcana vel prorſus arbitraria; quae quidem utut ſint, neque in illo principio tamquam involuta cogitari poſſint; haud tamen eius dominio ſupremo ſubtrahenda. Quidquid enim in diſciplina eſt vel reconditum adhuc vel arbitrarium illud ad principium tamen ſemper eſt revocandum; ſic autem revocatur, ut eius ſecundum illud nexus cum univerſa diſciplina finiatur, neceſſitudo, vis et conſilium niſi theoreticum ex parte ſaltim, practicum tamen omne efficiatur, intelligatur, ſervetur. Quod cum fit, dignitas principii ſervatur, ſyſtematis

Digitized by Google

unitas conſtat, et omnium praeceptionum rituumque ratio intelligitur.

g. Haec eſt vis, hic uſus principii doctrinalis et ſcientifici. Ex quo cum omnia evolvuntur, quae ipſi involuta quaſi inſunt, et inde vel evicta praecepta, continua argumentationis ſerie, ſibi iunguntur vel ſubnexorum enunciatorum vis et neceſſitudo proponitur, exiſtit, quod quaerimus, ſyſtema unum, cohaerens et ſtabile; facilisque ſemper datur regreſſus ad normam firmam in iudicandis rebus obſcuris et controverſis.

* * *

His de principii in diſciplina noſtra veritate, vi, amplitudine et uſu diſputatis, facilis eſt via ad conficiendam de analogia fidei, quam dicunt, deque praeceptis fundamentalibus et minus fundamentalibus controverſiam. Qua de re, ut, quae diximus, in uſum transferamus ipſi, pauca libet adiicere.

Analogiam proprie aequalem rerum, numerorum, magnitudinum rationem ſeu proportionem denotare, clarum eſt, transfertur deinde a theologis vox ad nexum neceſſitudinemque, quae praeceptionibus quibusdam cum fundamento ſeu univerſa aliqua diſciplinae regula intercedit. Secundum hanc regulam quae eſt ratio praecepti alicuius ad totum ſyſtema, dicitur analogia prae-

Digitized by Google

cepti ſeu articuli; hoc eſt, congruentia cum ſumma religionis. Hinc, cum πιςις non raro omnem Chriſti diſciplinam animo accipiendam *ſignificet*, analogia πιςεος eſt ratio, ad quam quaecumque prolata ſententia eſt examinanda. De his facile conſentiunt.

Quaeritur vero, quaenam illa ſit regula modum et rationem conſtituens, ad quam cuiuscumque praeceptionis cum religione divina congruentia finienda ſit. Tot fere regulas conſtitutas eſſe, quot partes fuere in univerſa Chriſti civitate, hiſtoria abunde teſtatur. Suum quaeque ſecta αναλογιςμον ſeu rationem et conſilium finiendi ſecuta eſt.

At vero cum hic neutiquam liceat pro lubitu aſſumere et occupare, verum omnis potius rei ratio huc redeat, ut regulam talem conſtet et authenticam hoc eſt, a Ieſu ipſo eiusque legatis praeceptam eſſe et eamdem principii partibus ſatisfacere, patet, nos nullius ſectae auctoritate et arbitrio teneri, liberum potius et ratum eſſe examen ad ipſorum fontium declarationem inſtitutum.

Rem ſi ad ea, quae ſupra de genuino Chriſti principio diximus, revocaveris, quaeſtio facilis erit expeditu. Ea *ipſa regula*, *quam primam Ieſus et ſummam eſſe diſerte expoſuerat*, *et analogiam*, *quam dicunt*, *ſidei*, hoc eſt, rationem exhibet, ad quam omnis praeceptorum cum capite ſuo cenſenda ſit congruentia et neceſſi-

tudo. Quae quidem regula ut eſt authentica et fundamenti doctrinalis notis characteriſticis ſatis faciat, ita etiam officio defungitur regulae fidei in univerſum.

Hac expoſitione rem iſtam de analogia fidei, credo ſemel et ſemper eſſe finitam. Nihil eſt, quod graviter obmoveri queat, cum unusquisque, certitudinis ad religionem ſtudioſus hic reperiat, quae quaeſiverat.

Pari modo ad eamdem regulam quaeſtio de capitibus (articulis) fundamentalibus poteſt et debet finire. Ut enim de regula ſumma ita de praeceptis quoque ſummis quaeſitum eſt.

Mirandum in modum ſeſe theologi in hac re expedienda torſerunt. Alii aliter ſtatuere. Quae ſentiendi diverſa ratio numquam exſtitiſſet, ſi pro arbitrario finiendi ſtudio certi principii ratio habita fuiſſet. Ut cuique optime viſum eſt, ſic ſtatuit; quod perperam factum eſt; res enim ad legem, eamque claram et ſtabilem revocanda eſt. Neque porro hic praecepta, ut volupe eſt, quaſi coacervanda ſunt, ſed ex principio aliquo deducenda et ordine proponenda.

Enunciata fundamentalia fundamento aliquo ſuo nitantur, neceſſe eſt. Temere fundamentalia ponuntur, ubi fundamentum eſt nullum.

Res autem difficilis haud eſt, ſi fundamento inſiſtas, quod Chriſtus iecit ipſe, eique ſuperſtruas; ſic et eius conſilio reſpondebis et rei, de qua agitur, ſatis facies.

Digitized by Google

Iam ſi ea, quae ſupra de fundamento doctrinali (quod in lege de amore erga Deum hominesque cernitur) diximus, perpenderis, apparet, ut unum tantum modo civitatis ſanctae eſt caput, Ieſus Chriſtus, ſic et unum tantum eſſe caput ſeu fundamentum diſciplinae ſanctae, praeceptum de amore, dico, in Deum hominesque. Praeceptio haec inter omnes latiſſime patet, eſt prima, ſumma, fundamenti loco a Chriſto poſita, explicata, ab apoſtolis ſervata, uberius expoſita, ſemper uſurpata.

Quare, quid eſt, quod dubitemus hanc propoſitionem in primo loco ponere, eamque tenere vere et unice fundamentalem?

Articulum igitur ego agnoſco unum fundamentalem, qui hoc cernitur lege: ama Deum hominesque alios ſic ut te ipſum: Hoc faciens Ieſu teneo rationem et conſilium, ultra quod ſapere velle in diſciplina ſancta, temerarium iudico.

Ex hoc fundamento, quae neceſſaria concluſione conſequuntur, ad diſciplinam chriſtianam neceſſario pertinent modo, quae propterea ego dixerim enunciata neceſſaria, vera, clara.

Hinc quoque patet, diviſionem ſolemnem in praecepta fundamentalia et minus fundamentalia aliquid habere ambiguitatis, indeque factum eſſe, ut maxima ſemper inter theologos fuerit diſſenſio in conſtituendis articulis, qui dicuntur, fundamentalibus et minus fundamentalibus. Quae

Digitized by Google

haeſitatio tam diu manebit, quam placuerit rem religionis ſine principiis facem praeferentibus tractare.

Enunciatio quaedam aut primo loco ponenda eſt, aut minus; ſi illud, enunciatio talis eſt fundamentalis, omnesque antecedit alias. Talis enunciatio tantummodo poteſt eſſe una, ut unitas conſtet ſyſtematis, cunctaeque eius partes in illa una teneantur. Ceterae, quae proponuntur, enunciationes ex illa prima, ſuprema et una aut neceſſario efficiuntur, aut minus, ſi illud neceſſariae exiſtimentur, verae, eſſentiales, clarae. Cunctae tali modo ſic ſibi iungantur praeceptiones, ut, quomodo in una et ſuprema ſua pendeant, intelligatur. Quae ex iſta una et ſuprema lege haud effici poſſunt, praeceptiones dicantur pro noſtro intelligendi modo *arbitrariae*, hoc eſt, tales, quorum cum ſumma religionis neceſſitudo vel nulla eſt, vel a nobis iam non intelligitur. Qui neceſſitudinem omnino nullam eſſe dicit, demonſtret neceſſe eſt, quomodo nulla ſit. Qui rem adhuc reconditam eſſe autumat, quod eſt temperanter iudicantis; eius tamen vim practicam proponere debet, ut appareat, cur enunciatio theoretice obſcura diſciplinae religionis adnumeretur, intelligaturque, quo modo finibus bonorum producendis inſerviat. Id quod de omnibus vel obſcuris etiam theorematibus perbene doceri poteſt.

Digitized by Google

His dictis clarum ſit, ab omnibus fere, quicumque enunciata fundamentalia enumerare conati ſunt, perperam factum eſſe, vel propterea, quod pluribus conficere voluere, quod uno et ſingulari conficiendum eſt; id quod iam ipſa fundamenti doctrinalis notio involvit.

Peccavere, quod in initio poſuere, quae adhuc evincenda et conſequentia ſunt: ut Deum eſſe; Deum eſſe unum; Ieſum eſſe Meſſiam; eſſe dominum et auctorem etc. Quibus enunciatis abſit ut aliquid detrahere velimus, vigent enim laude ſua; at vituperamus, quod fundamenti ſcientifici loco poſita ſunt; quem vim non habent. E. G. Deum eſſe; haec propoſitio non viget laude fundamenti cui ſuperſtruatur diſciplina religionis, licet ad religionem utique pertineat et graviſſima ſit. Sententia enim iſta: „ama Deum" primum debet ad vivum reſecari et monſtrari, quid inſit; duceris hac explicatione ad conditionem, per quam amor in Deum poſſibilis ſit naturae intelligenti et liberae; ad conſenſionem voluntatis divinae cum lege libertatis abſoluta neceſſariam, ad finem bonorum per legem iſtam imperatum, ad conditionem ſummum bonum conſequendi, quae demum flagitat ut Deus ſit. Sic, quam primo loco poſuere, ea longo demum intervallo per iuſtam argumentandi rationem efficitur enunciatio. Pariter etiam in ceteris, v. c. Ieſum eſſe Meſſiam, eſt enunciatio chriſtianis certa ac nobilis, pertinetque ad diſciplinam

Digitized by Google

ſanctam, huius vero diſciplinae haud eſt principium doctrinale et cognoſcitivum.

Peccavere porro, quod nullam enunciatorum pro lubitu coacervatorum neceſſitudinem ſcientificam vel inter ſe vel cum ſumma religionis demonſtraverunt. etc.

Erratum etiam eſt, quod, quae ſunt temporis ac locorum, haud diſtinxerunt ab iis, quae ſunt ſcientiae ac ſyſtematis. Alia eſt ratio docendi, quam prudentia, alia quam ſuadet ſcientia. *Illa* reſpicit gentis, quae docetur, ruditatem, opiniones, vires; reputatque, quae prius quae poſterius aptiſſime proponenda ſint; *haec* indolem diſciplinae emetitur, ſpectat artem, partiumque omnium inter neceſſitudinem et nexum cum principio uno et ampliſſimo conſiderans ſyſtemati condendo operam navat. Illa ratio populari inſtitutioni commendanda, haec doctis reſervanda eſto. Illa conveniens fuit Chriſto et apoſtolis, qui magis in erudiendo populo quam efformanda ad artem ſcientiamque diſciplina elaboraverunt. Satis fuit, rei facilitatem ſignificare.

Hinc clarum eſt, ea, quae initiorum, rudimentorum et fundamentorum nomine in ſacris litteris memorantur, non ſemper vim principii ſcientifici habere, ſed ad docendi rationem tempori convenientem pertinere; aliudque hic, ibi aliud primo loco proponi. Huc pertinent v. c. Pauli, γαλα, ςοιχεια Ebr. 5, 12. της ἀρχης των

Digitized by Google

λογιων του θεου, ὁ της ἀρχης λογος του Χριϛου cap. 6, 1. quae ſunt initia erudiendis, in limine quaſi et rebus accommodate, propoſita, usque dum ad acriora rerum ſtudia (ϛερεαντροφην, τελειοτη τα) apti docilesque evaſerint.

Quemadmodum tempore Chriſti et apoſtolorum res religionis non in ſolemnibus iam ſcholis, ſed ut opportunitas vel quaeſita vel ultro oblata erat, tractabatur, ita etiam eruditio fieri coepit, ut haec illa res caſusque forte ſermonem iniecerat. Quare credibile eſt, apoſtolos, ut Ieſum, non ſemper et ubique ab una eademque re initium feciſſe, ſed prout res praeſentes iam flagitabant. Sic v. c. Ieſus ſub mortem obeundam ad Deum preces fundens ſollicitusque de Dei patris ſuaque laude ſervanda et propaganda iam hoc ad vitam aeternam graviſſimum et prae ceteris tenendum declarat: Deum patrem ſuum eſſe unum et verum numen adorandum; ſeque eius verum eſſe legatum et Chriſtum. Io. 17, 3. Eſt utique hoc graviſſimum cuique chriſtiano, 1 Io. 2, 22.; quamquam haud principium ſcientificum; de quo quaerimus, quando ſermo eſt de enunciato fundamentali.

Pariter apoſtolus Paulus eos, qui immortalitatem animi negatum ibant, caſtigans hac occaſione oblata graviſſimam in diſciplina ſancta praeceptionem declarat de reſurrectione 1 Cor. 15, 11 ſeq. 2 Tim. 2, 17—18. Perſuaſionem autem de immortalitate, ut in doctrina

chriſtiana latiſſime patet, ita ex aliis demum argumentis, v. c. ex legis moralis vi infinita effici, notum eſt.

Temporis quoque eſt, cum Paulus Gal. 5, 4. eos a Chriſto deſciviſſe et gratia divina excidiſſe docet, qui ex obſervantia erga legem Moſaicam, ritualem inprimis, dignitatem coram Deo iuſtam proficiſci indeque impertienda ſibi eſſe beneficia divina opinentur. Quin potius nos ita exſpectare aſſerit beneficia divina, ut ingenio diſciplinae ſanctae recti omnem fiduciam noſtram in Deo ponamus. v. 5. Quare v. 6. in civitate chriſtiana, addit, nihil valere, neque περιτομην neque ακροβυϛιαν, ſed πιϛιν ἐν ἀγαπη ἐνεργουμενην. Quae eſt iterum ſignificatio legis ſummae omnia chriſtiani officia complectentis. Quod enim v. 5. πνευματι, v. 6. eſt εν ἀγαπη ἐνεργουμενη.

Tali modo Ieſum et apoſtolos temporibus inſerviſſe et id primo loco docuiſſe, quod ad homines, quos iam edocebant, aptiſſimum videretur, ultro apparet. Quo conſilio de uno et vero Deo ediſſerentes Iudaeis, ſe patrium, non novum, numen colere Act. 3, 13. cap. 7, 2. cap. 13, 16 ſq. profitentur, gentibus exteris idololatriam et impietatem diſſuadentes de uno et vero Deo, omnibus ubique benigne proſpiciente, enarrant Act. 14, 15 — 17. cap. 17, 23 etc. De Ieſu ſic exponunt, ut Iudaeis oſtendant eum eſſe Chriſtum ſeu Meſſiam diu exſpectatum. Act.

Digitized by Google

2, 36. cap. 3, 18. cap. 5, 30 — 32. cap. 18, 28. 1 Cor. 2, 2. gentibus vero, quibus Meſſiae exſpectatio nulla nomenque obſcurum erat, de ſalutari Dei per Ieſum Sotera conſilio in univerſum exponunt Act. 17, 31. In quo memorabile eſt, quod ſemper Ieſu reſurrectionis mentionem iniiciunt, quae ſit teſtimonio divinae auctoritatis Act. 13, 30. cap. 17, 31. 1 Cor. 15, 4; atque remiſſionis peccatorum per eum promiſſae et ſic impertiendae ut *μετανοια* vel *πιςις* praeceſſerit Act. 5, 31. cap. 10, 43. Cuius rei in cauſa hoc praeſertim fuit quod et Iudaei et ceterae gentes ab ſacrificiis veniam peccatorum exſpectabant; a quibus iam quidquid exſpectent, hoc ipſis per merita Chriſti conceſſum iri, ſi vero quidem pneumate ferantur, docetur. Act. 13, 38 — 39. cap. 26, 20. Simile eſt, quod Paulus de Theſſalonicenſibus 1 ep. 1, 9 — 10 memorat, quos a ſe ſic dicit inſtitutos eſſe ut ab idololatria ad veri Dei reverentiam converſi exſpectare didicerint Ieſum filium Dei de coelis venturum; quem ideo Deus e mortuis reſuſcitaverit ut a poenis nos futuris (*απο της οργης ερχομενης*) liberaret. Apoſtolus hic, ſe perhumaniter a Theſſalonicenſibus exceptum eſſe, laudat; eosque, addit, bene a ſe eſſe inſtitutos; cuius inſtitutionis haec refert capita a) revocationem ab idololatria b) converſionem ad veram erga Deum vivum et verum pietatem c) ſpem de Chriſto iudice venturo

d) perſuaſionem de eodem reſuſcitato e) hominesque a futuris poenis liberaturo. Paulum hic ordinem indigitare, ad quem apud Theſſalonicenſes docuerit, non docemur, credibile potius eſt, eum hic quaedam ſummatim tangere, quibus exponendis operam ſuam praeſens dederit. Atqui graviora haec utique ſunt, quae memorat, capita, ingeniisque Theſſalonicenſium, quod Paulo confidimus, admodum accommodata.

Summa diſputationis huc redit, ut lubenter quidem demus, *neceſſaria* utique diſciplinae chriſtianae eſſe capita 1) de Deo uno et vero, omnium rerum auctore et rectore Act. 17, 22 etc. 2) de Ieſu Meſſia, filio Dei, ſeu uno et perfectiſſimo divinae voluntatis interprete Act. 17, 31. „*ἐν ανϑρι, ᾧ ὥρισε, πιςιν παρασχων πασιν.*“ 3) de Ieſu morti tradito et vitae reſtituto. 4) de ſpe remiſſionis peccatorum ſeu immunitatis a poenis futuris, non in ullo ſacrificiorum genere, ſed in meritis morteque Chriſti, ponenda 5) de ſpiritu divino et ſancto, 6) de legis moſaicae abolitione et ſola per Ieſum divulgata *πιςι εν αγαπῃ ενεργουμενῃ*, 7) de *μετανοια* ſola beneficiorum Chriſti obtinendorum conditione, 8) de mortuorum reſurrectione et vita perenni, 9) de baptismatis, ritus initiandi et ſacrae coenae, ritus conſociandi vi et conſiliis et quae ſunt cetera. Neceſſaria, inquam haec ſunt diſciplinae chriſtianae capita, ſic ut vel ex lege prima et ſumma evincantur, vel ad eam aptiſſime poſſint

finiri, neque quisquam, qui nomen Chriſti profitetur, iſta aut ignorare aut negare adeo debeat; at ſenſu quidem ſtrictiſſimo fundamentalia dici nequeunt, niſi vocabulum ſenſu latiore ſumſeris et fundamentale id dixeris, quo negato omnis ſyſtematis fundamentum concutiatur et dilabatur. Ego neceſſarias has et cum capite religionis arctiſſime cohaerentes ſic dixerim ut multa alia praecepta pari laude ac dignitate eſſe ſtatuerim. A quibus proponendis vel nonnullis vel cunctis, quibus ſemper? non liquet, ſi apoſtoli initium fecere, id ſuo et ſapienti, quod confidimus, conſilio fecere ceterorum quidem praeceptorum laudi nihil profecto detrahentes. Multa vero etiam alia et graviſſima ad diſciplinam pertinuiſſe inter cetera illud docet, quod maximum eſſe myſterium apparere dicet Paulus 1 Tim. 3, 16. „θεος ἐφανερωθη εν σαρκι, ἐδικαιωθη ἐν πνευματι, ὠφθη, ἀγγελοις, ἐκηρυχθη εν εθνεσιν, ἐπιςευθη εν κοσμω, ανεληφθη εν δοξη.“ Quod carmen apoſtolus ςυλον και ἑδραιωμα της ἀληθειας και ὁμολογουμενως μεγα το της ἐυσεβειας μυςηριον appellat; magnam igitur ipſi vim ſententiarumque copiam ineſſe ſignificat.

Rem de articulis fundamentalibus praeeunte et ſacrarum litterarum auctoritate et rationis deſiderio ſic finiendam eſſe exiſtimo.

1) unum eſt fundamentum religionis doctrinale, principium cognoſcendi et examinandi primum et ſummum, praeceptum, dico,

Digitized by Google

illud: ama Deum et homines ſic ut te ipſum.

2) Ex hoc quae neceſſario efficiuntur, praecepta dicantur neceſſaria ſeu neceſſario conſecutiva.

3) Sequuntur inſtitutiones arbitrariae, reconditae, rituales; quarum laus haec ſit, ut diſerte in ſacris litteris enuncientur, ut ipſis ſcriptorum verbis repetantur, ut principio univerſo non repugnent, ut quantum fieri poteſt, ad finem religionis revocentur, et quid et quomodo ad promovendam, quae ſpectatur, perfectionem (τελειότητα) faciant; clarum ſit. Harum enim propoſitionum etſi neceſſitudo ex principio ſtabilito evinci nequeat, ad id tamen revocari et ſecundum illud aeſtimari poteſt et debet.

1) Haec propoſitionum in diſciplina chriſtiana diviſio differt ab illa, quae ad methodum docendi pertinet popularem; quippe quae rebus utitur, quo convenientiſſimo videtur modo. Initium dehinc modo facit ab doctrina de Deo, modo a fide Chriſto habenda, modo ab hominis natura exponenda etc. Incipit modo ab inſtitutionibus arbitrariis et pergit ad praecepta neceſſario conſequentia, modo a praeceptis conſecutivis et finit in lege prima et ſumma. Sunt haec judicio boni doctoris relinquenda.

Digitized by Google

2) Neque porro illa ad principium facta diviſio ceteris aliquid detrahit propoſitionibus vel neceſſario evictis vel arbitrio appoſitis. Res illa ad modum pertinet intelligendi noſtrum. Aliter fieri non poteſt, ſi ſyſtema ſpectatur ſcientificum; ſi firmam quaeris cognoſcendi et examinandi normam. Magna nihilominus tamen ſua vigent laude ceterae propoſitiones v. c. de Chriſto merente, mortuo, reſuſcitato, exaltato, et quae ſunt ceterae *vel* mere arbitrariae, ut myſteriosae, id eſt, tales, quarum cum lege ſumma neceſſitudo a nobis non intelligitur, *vel* mere hiſtoricae, quae ſolo ſacrarum litterarum teſtimonio claro quidem et probabili nituntur, vel rituales, quae ad exteriorem civitatis ſanctae conditionem pertinent. Tenendum tamen eſt, repeto enim, nullam prorſus inſtitutionem in ſacris inſtrumentis reperiri, quin ad legem primam examinata et aeſtimata eius cum finibus religionis nexus poſſit et debeat monſtrari. Enimvero, ſi quae theoretice non intelliguntur, nec practice aeſtimari poſſunt, inania ſunt et ad σοφισμον της σωτηριας prorſus inutilia. Quod opprobrium in religionem divinitus revelatam neutiquam cadit.

Ceterum diviſiones in articulos fundamentales et minus fundamentales, puros et mixtos (e ſcriptura ſolum diſcendos, vel ratione quoque duce cognoſcendos); in fundamentales primi vel ſecundi ordinis, in univerſales (omnibus

chriſtianis pariter probatos) et particulares (ſeiunctis eccleſiis, Lutheranae, Graecae, Neſtorianae etc. proprios) ſatis notae ſunt et ad ea, quae diximus, commode poſſunt aeſtimari. Fundamentum *perſonale* (ſubſtantiale, reale) eſt Ieſus Chriſtus auctor caput et dominus civitatis ſanctae, *dogmaticum* (doctrinale, ſcientificum) eſt lex amoris erga Deum et homines, aliis de praeceptis aliis v. c. de venia peccatorum et miſericordia Dei, de aeterna beatitudine, a ſola Dei gratia propter Ieſum Chriſtum Dei filium ſalutis humanae inſtauratorem, per fiduciam certam in eius merito collocatam ſperanda et conſequenda etc. ſumitur. Rectius haec ad diſciplinam chriſtianam vere pertinere, eius vero caput et fundamentum haud efficere dixeris. Fundamentum *organicum* eſt doctrina ipſa ſeu verbum Dei in ſacris litteris prolatum.

Quid fundamentum eſſe debeat doctrinale unum, vidimus; quae inde derivata praecepta neceſſaria, quae pura quae mixta, quae mere arbitraria, a multis ambigitur, ex ipſis autem diſciplinae fontibus adiuncta rationis ope debet monſtrari. Particularia in religione chriſtiana ſtatuta proprie admitti non debeant; nituntur autem diverſa enunciationum in ſacro fonte obviarum interpretatione, pertinacia non raro parum quidem laudabili et controverſiarum ſtudio, quod ſenſim ſperamus remiſſum et in veri bonique amorem converſum iri.

Digitized by Google

* *
*

Haec praefaminis et viam praemuniendi cauſa dicta ſunto. Pergo iam ad ipſa, quae ſuperſunt, diſciplinae theoremata explicanda et dilucidanda.

Legem iſtam, quae amorem erga Deum hominesque praecipit, ſemper ante oculos habebo, licet iam non ad iſtam omnis diſciplinae compagem conficere in animo ſit; in eoque elaborabo, ut quamquam ſolemnem rerum ordinem ſervaturus ſim, omnia tamen ex iſto fundamento vel quomodo efficiantur, ſignificem, vel quomodo ad illud aeſtimanda ſint, oſtendam.

Enimvero, quid iuvat frigidis inhaerere ſpeculationibus, et inutiles ſpargere hypotheſes; cum in religione ſancta profecto nihil inſit, quin veram ſpectet pietatem virtutisque ſtudium.

Digitized by Google

CAP. I.

DE DEO.

Sectio 1.

De
Notionis Dei origine et vi tranſcendentali.

Quaeſtio de Deo vel univerſum in religione vel ſingulatim in religione revelata graviſſima eſt. Scire enim, Deum eſſe et qualis ſit et quae eius cum homine neceſſitudo, vel propterea maximi eſt ponderis, quod ab hac ſcientia momentum proficiſcitur ad finem bonorum vel in ſe vel extra ſe producendum, officiorumque ratio tum in religionem abit, cum quae theoretice de Deo ponuntur, vim ſuam exſerunt in animum movendum et regendum.

Videamus igitur primum, unde oriatur notio de Deo, qualis eius ſit vis et ambitus.

Indoles facultatis noſcendi non inepte dividitur in intellectum et rationem. Ille in notionibus cernitur, haec in illis efformandis. Lo-

Digitized by Google

gica cognitionis noſtrae forma producit notiones, non omnem ſolum verarum rerum experientiam antecedentes, verum etiam quae et in cauſa ſunt, ut res omnino empiricae cognoſci *poſſint*, et huius cognitionis *unitatem ſyntheticam* efficiant. Ipſa iudicandi forma, in notionem de ſyntheſi intuitionum translata, gignit categorias uſum intellectûs in experiendo praeeuntes. Quod fit ab intellectus forma in iudicando verſante, idem credibile iam eſt, fieri ab ratione in concludendo occupata. Forma enim concluſionum in ſyntheticam intuitionum unitatem per categorias effectam translata notiones producet proprias et ſingulares, uſum intellectûs in univerſo experientiae ſyſtemate ſecundum principia regentes et finientes.

Ratio concluſionibus defungens hoc ſibi vult ut univerſalitatem cognitionis ad notiones efficiat, ipſa concluſio eſt iudicium per totum conditionis ſuae ambitum a priori finitum. Abſoluta ambitus magnitudo dicitur univerſalitas, cui in intuitionum ſyntheſi reſpondet conditionum univerſitas. Rationis dehinc notio transſcendentalis eſt de univerſitate conditionum alicuius dati conditionati. Iam cum univerſitas conditionum tantum poſſibilis ſit per nonconditionatum, ipſaque conditionum univerſitas ſemper nonconditionata ſit; ſequitur: purae rationis notionem eſſe eam de nonconditionato, cauſam ſyntheſeos conditionati continentem.

Digitized by Google

Quot porro ſunt modi relationis ab intellectu per categorias cogitati, tot purae rationis notiones; quaerendum dehinc eſt nonconditionatum et categoricae in ſubiecto ſyntheſeos et hypotheticae membrorum in ſerie aliqua ſyntheſeos et diſiunctivae partium in ſyſtemate ſyntheſeos. Quaeque harum propoſitionum concluſio per proſyllogismos ad nonconditionatum adſcendit, *alia* ad ſubiectum, quod ipſum non amplius ſit praedicatum, *alia* ad poſitionem nihil amplius ponentem ſeu ad hypotheſin abſolutam; *alia* denique ad aggregationem membrorum in diviſione, quae diviſionem notionis abſolvat.

Sunt haec problemata rationis indole neceſſaria propoſita, quibus ſolvendis et explicandis operam dare vel propterea oportet, ut intellectus regatur, et eius uſus amplificetur; licet in rerum experiendarum complexu nihil inveniatur quod illis omnino reſpondeat.

Ratio dehinc in eo elaborat, ut unitatem ſyntheticam, quae in categoria cogitatur, ad abſolute nonconditionatum evehat. Haec eſt phaenomenorum unitas *rationalis*, illa, in categoriis expreſſa, *intellectualis*. Ratio dehinc ſic refertur ad uſum intellectus, ut huic in unitatem quamdam ducat, ipſi per ſe ignotam, idque agentem ut functiones intellectus in toto aliquo comprehendantur.

Tales per formam concludentis rationis progenitae notiones neceſſariae *ideae* dicantur, qui-

Digitized by Google

bus quidem congruentes per ſenſus res dari nequeunt; quae ſunt et transſcendentales et neceſſariae et transſcentes. Tendunt autem, prima, in abſolutam ſubiecti cogitantis, ſecunda in abſolutam ſeriei conditionum phaenomenorum, tertia in abſolutam conditionum omnium rerum cogitabilium unitatem. Subiectum cogitans pertinet ad pſychologiam; complexus omnium phaenomenorum ad cosmologiam; ens vero, quod ſupremam, ad poſſibilitatem omnium cogitabilium, conditionem continet; ſeu ens entium omnium ad theologiam. Harum diſciplinarum transſcendentalium ideas ratio neceſſario gignit modo.

In puris intellectus notionibus nihil ineſſe niſi formas cogitandi, facile intelligitur; eaedem tamen ad res viſibiles translatae materiam ſumuntes obiectivam nanciſcuntur realitatem. Ideae vero ita ſunt comparatae, ut iis in univerſo ſenſibilium rerum complexu nihil reſpondeat; in concreto igitur monſtrari nequeant. Remotius adhuc a realitate eſt id, quod ideale dicitur, et ens ſignificat per ideam vel determinabile vel determinatum; ideam dehinc non in concreto ſolum verum in individuo monſtratam. Ut ſapiens ſtoicorum eſt ideale aliquod, hoc eſt, homo animo ita cogitatus ut cum idea ſapientiae plane congruat.

Idea regulam proponit; ideale vero prototypon ſiſtit ad ectypon omnimode definiendum et aeſtimandum.

Quodlibet ens, ſecundum poſſibilitatem ſuam ſubeſt principio omnimodae determinationis, eique inter omnia poſſibilia rerum praedicata, cum ſuis quidem oppoſitis collata, competit unum. Per hoc principium res quaelibet ad commune correlatum, ad cunctam, dico, poſſibilitatem, hoc eſt, ad materiam omnium poſſibilium praedicatorum refertur; (quae in ente uno reperta affinitatem omnium poſſibilium per identitatem principii omnimodae determinationis commonſtratura eſſet.) exprimiturque, quomodo entis cuiuscumque poſſibilitas ex ea parte, quam ex univerſa poſſibilitate nactum eſt, deducatur. Res igitur ipſa cum complexu omnium poſſibilium praedicatorum transſcendentaliter confertur, id quod hoc fere ſibi vult: ut rem penitus et omnino cognoſcas, neceſſe eſt, omnia poſſibilia cognoveris, ſi quidem per haec illud aut dicendo aut negando finire velis.

Eſt dehinc omnimoda illa entis determinatio idea; in concreto numquam monſtranda, in ratione vero ſic ſita ut intellectui regulam praeeat. Ipſa vero haec de complexu omnium poſſibilitatum idea accuratius explicata plura ex ſeſe emittit praedicata, quae derivata vel per alia iam data ſunt, vel ſecum ſtare non poſſunt; ex quo fit, ut illa idea purgata et omnimode finita in ens individuum per ideam omnimode finitum transferatur, atque rationis ideale recte dicatur.

Digitized by Google

Omnia praedicata non logice ſed transſcendentaliter, hoc eſt, ad materiam ſuam ponderata aliquid exprimunt quod vel eſt vel non eſt. Negationes vero cogitari nequeunt niſi ſic ut iis affirmationes ſint fundamento. Hinc omnes de negationibus notiones ſunt derivatae, ſolisque realitatibus originaliter ineſt datum, ſeu materia transſcendentalis ad rerum poſſibilitatem et omnimodam definitionem. Quodſi ratio noſtra omnimodae definitioni transſcendentale aliquod ſubſtruat, tamquam fundamentum, quod cunctam materiam, unde omnia poſſibilia praedicata expromantur, comprehendat; illud (ſubſtratum) nullum eſt aliud niſi idea de omnitudine realitatis. Unde ſequitur, omnes negationes nihil eſſe niſi limitationes (circumſcriptiones) quibus infinitum aliquod (omnitudo) fundamento eſt.

Per hanc ſimul realitatum omnitudinem ipſa, de ente in ſe, notio omnimode eſt definita, notioque de ente realiſſimi eſt de ente uno et individuo, cum in eius definitione ex omnibus praedicatis poſſibilibus ſibi oppoſitis unum quod ad *το ειναι* abſolute pertinet, reperiatur. Transſcendentale igitur eſt ideale, quod omnimodae, cuique quod eſt neceſſariae, definitioni ſubeſt; quod ſupremam et completam poſſibilitatis eius conditionem materialem continet et ad quod quaevis rerum in univerſum materialiter ſpectatarum cogitatio redit. Unum ſimul eſt ideale,

Digitized by Google

quod in rationem humanam cadit; cum in uno hoc notio de re aliqua in ſe univerſalis per ſe omnimode definiatur atque ut cogitatio de individuo aliquo innoteſcat.

Notio de realitate in univerſum a priori dividi nequit, cum extra experientiam nullae certae realitatum ſpecies innoteſcant, quae ad genus illud pertineant. Transſcendentalis dehinc propoſitio illa de omnimoda omnium rerum definitione nihil eſt aliud quam cogitatio de complexu omnium realitatum; notio igitur omnia praedicata ad materiam ſuam ſpectata et ſub ſe et in ſe comprehendens; omnimodaque rei definitio nititur circumſcriptione (limitatione) huius omnitudinis realitatis; ex qua quidem hoc enti alicui addicitur, illud negatur.

Ratio dehinc id agit, ut neceſſariam omnimodam rerum definitionem animo complectatur; quare entis eius, quod ideali reſpondet, ideam tantum modo, non exiſtentiam ponit, in eoque occupatur, ut ab nonconditionata omnimodae determinationis univerſitate conditionatam quamcumque, quae eſt rerum limitatarum, derivet.

Ideale illud eſt igitur prototypon omnium rerum quae cunctae inde, ut ectypa, ſuae poſſibilitatis materiam nanciſcuntur, ad illudque remotius modo propius ſic accedunt ut longiſſime tamen ſemper abſint; infinitum enim ſemper

Digitized by Google

ſpatium intererit inter entis realiſſimi atque inde derivati realitates.

Quaeque dehinc rerum poſſibilitas (ſyntheſis diverſi ac varii materialiter ſpectati) cogitatur derivata, praeter eius, quod omnem realitatem in ſe habet, poſſibilitatem, quae eſt originaria. Omnes enim negationes (quippe per quas ſolas ut praedicata cetera omnia ab ente realiſſimo dignoſci poſſunt) ſunt limitationes maioris alicuius et ſummae demum realitatis; hanc igitur ſupponunt et ab hac, ad materiam ſuam, ſunt derivatae. Omnes dehinc rerum varietatis totidem varii ſunt modi ſummae realitatis notionem (tamquam commune ſibi ſubſtratum) limitandi; quemadmodum omnes figurae totidem poſſibiles ſunt varii modi ſpatium infinitum circumſcribendi.

Obiectum igitur, quod ratio ideali ſuo reſpondens efformat ens eſt *vel* originarium, quippe a quo cetera omnia deriventur; *vel* ſummum quippe quo maius aliud non ſit; *vel* ens entium, quippe quod nonconditionatum omnibus ſubſit conditionatis. Hac praeceptione non obiectivam entis realis cum ceteris rebus neceſſitudinem ſed ideae alicuius cum notionibus ſuperſtructis nexum ſignificari, entis igitur talis ac tanti exiſtentiam incertam adhuc relinqui, ſupra iam innuimus.

Praeterea cum ens illud originarium ex entibus derivatis haud conſiſtat ipſum; quippe cum

Digitized by Google

illud his ſubſit, illoque iam poſito haec demum ſequantur; conſequens eſt, illud ideale cogitandum eſſe *ſimplex*. Neque porro derivatio omnium ceterarum poſſibilitatum ab illo ente originario, limitationem ſummae realitatis et quaſi diviſionem infert; id quod ens illud ex entibus derivatis quaſi coacervatum factorum eſſet, abſolutaeque rationis unitati contradicit; quin potius poſſibilitas omnium rerum in ſumma realitate nititur ut fonte ſuo, fundamento ſeu ratione ſufficiente, non ut in complexu ſuo, ipſaque porro rerum derivatarum varietas non nititur entis ſummi limitatione ſed completa eius eſt conſequentia; ad quam cuncta quoque ſenſibilitas inque phaenomenis obvia realitas refertur, quae quidem enti ſummo haud inhaerere, quamquam ab ipſo effici et ut conſequens pendere poteſt.

Tali modo ideae in hypoſtaſin translatae innitentes ens ſummum per ſummae realitatis notionem definitum cogitabimus unum, ſimplex, omnio ſufficiens, aeternum et, uno verbo, tale quod in ſua nonconditionata plenitudine per omnia praedicamenta ſit expoſitum. Notio de ente tali eſt illa de *Deo*, ſenſu transſcendentali, cogitato, anſamque praebet theologiae transſcendentali.

Cavendum autem eſt, ne, quod per ideam in animo cogitamus, idem illud etiam propterea iam extra ideam vere eſſe opinemur. Quam-

Digitized by Google

quam enim illa idea a ratione neceſſario modo efformatur, exinde haud conſequitur, ei etiam neceſſario reſpondere obiectum extra iſtam poſitum et verum. Fit enim per ſubreptionem animi, realitatem phaenomenorum cum realitatem entium in ſe omnium permiſcentem; ut ideale illud entis realiſſimi, quae pura eſt notio, primum cogitetur ut obiectum, deinde ut hypoſtaſis, denique ad perficiendum unitatem, ut perſona. Opinamur enim, cum regulativa experientiae unitas non in phaenomenis ipſis, ſed in ſyntheſi varietatum per *intellectum* effecta nitatur, propterea etiam ſummae realitatis unitatem omnimodamque omnium rerum determinabilitatem in ſummo aliquo intellectu in numine igitur perfectiſſimae mentis pendere.

Habemus, quod quaerebamus. Vidimus enim notionem de Deo et ab animo efformari ipſo et quomodo efformetur; ex quo ſimul elucet, quam perperam a multis fiat, qui notionem de Deo omnes animi vires transſcendere atque eam non niſi a revelatione ſupranaturali repetendam eſſe dictitent. Id quod vel animi indoles ac natura, vel rerum experientia et hiſtoria vel ipſa divini inſtrumenti dictamina diſſuadent.

Haec de origine et ambitu notionis quae eſt de numine ſummo. Supereſt, ut de exiſtentia et de virtutibus eius uberius inquiramus. Neque enim ſatis eſt ſcire, hanc notionem

1) neque fictitiam nec arbitrariam eſſe, et
2) neceſſario ab animo effici et formari et
3) quamcumque mentem in eamdem citius ſerius ſuopte niſu incidere debere.

Sectio 2.

De Argumentis, quibus Deum eſſe monſtrari volunt, ex ontologia, cosmologia et phyſicotheologia petitis.

Rationis hoc proprium eſt, ut neceſſario niſu in id feratur ponendum, quod intellectui ſit fundamento ad notiones ſuas omnimode definiendas. Quod etſi ponat, non tam coeca tamen eſt, quin ſentiat, poſitionem talem longiſſime abeſſe a realitate; atque niſi aliis ex cauſis moveretur, ut alicubi ſtationem et requiem quaerat, in regreſſu ſcilicet a conditionato aliquo dato ad nonconditionatum et ſeriem et agmen quaſi cauſarum interiacentium claudens, initium facit ab experientia communi et aliquid exiſtens fundamenti loco ponit; quod fundamentum vacillat niſi in aliquo abſolute neceſſario nitatur, eoque infinita realitate conſpicuo.

Si quid eſt fortuitum eſt, illud eſt ſub conditione alius ſuae cauſae, a qua concluſio pergit ad cauſam non amplius fortuitam ſed ſine conditione neceſſario exiſtentem. Hac argumen-

Digitized by Google

tatione rationis nititur progreſſus ad ens originarium.

Iam ratio rem abſolute neceſſario exiſtentem ponens notionem quaerit in illam unice et omnimode quadrantem; quae eſt illa de natura ſummae realitatis. Omnitudo vero realitatis infert unitatem abſolutam, ducitque ad notionem entis unius et ſingularis, numinis dico ſummi, colligiturque inde hoc ens ſummum, primum omnium rerum principium *eſſe* neceſſario.

Haec autem concluſio gratia aliqua eget, haud enim invicto ſtat argumento. Si enim dederimus; *et:* a data aliqua exiſtentia valere conſequentiam ad entis abſolute neceſſarii exiſtentiam; *et:* ens omnis realitatis, omnes conditiones complectentis, abſolute nonconditionatum eſſe, reſpondereque notioni quam in ens abſolute neceſſarium quadrantem quaeſiveramus; exinde tamen non conſequens eſt, notionem limitati entis contradicere neceſſitati eius abſolutae. Namque, licet in *notione* hac nonconditionatum illud haud iam inveniatur, non propterea ſequitur, *exiſtentiam* eius quoque eſſe conditionatam. Imo potius omnes naturae limitatae etiam neceſſario eſſe poſſunt, quamquam notio de illis noſtra illud iam non involuat. Ergo concluſio iſta demonſtrationis vi omnimo caret.

Digitized by Google

Neque tamen talis argumentandi ratio prorſus deſpicienda eſt et niſi ad apodixin, ad perſuaſionem tamen facit. Cum enim omnia non ſine cauſa fiant, quaevis deprehenſa cauſa ad altiorem patiatur progredi usque dum ſuprema et prima àliqua reperiatur; et haec quidem non uſu detur, animo tamen eam cogitare licet, atque in nulla alia potius ponenda eſt quam in ſumma cauſalitate, hoc eſt, in ente pleniſſimae perfectionis. Quam cauſam ideo putamus eſſe neceſſariam, quod nobis neceſſarium eſt, ad illam progredi.

Ceterum tres ſunt argumentandi modi, quibus per rationem ſpeculativam, Deum eſſe, demonſtrandi periculum poteſt fieri. *Aut* enim a certa experientia et per hanc cognita mundi ſenſibilis indole fit initium et progreſſus ſecundum legem cauſalitatis ad cauſam extra mundum ſupremam; *aut* indefinita tantum modo experientia, hoc eſt, empirica quaedam exiſtentia ponitur; *aut* omnem prorſus experientiam deſerendo ex puris notionibus ad primae cauſae exiſtentiam fit concluſio. Prima argumentatio eſt phyſicotheologica, ſecunda cosmologica, tertia denique ontologica. Haec via procedit transſcendentali, illae duae priores via empirica.

Digitized by Google

A.

De argumento ontologico.

Notionem de ente abſolute neceſſario ad puram pertinere rationem, per ſe patet. Iam quaeritur quid ſit ens abſolute neceſſarium? Definitio nominalis, quae tale eſſe dicit, cuius non-*exiſtentia* impoſſibilis ſit, et facilis eſt, et rem ipſam haud dilucidat. Poſito ente realiſſimo, clarum eſt, poni eius exiſtentiam nonconditionatam; illo vero negato haec ſimul concidit. Deus eſt; haec eſt propoſitio ſynthetica, non analytica, cui praeter notionem aliquid debet addi, quod *το ειναι* demonſtret. In mundo ſenſibili hoc praeſtat experientia; quae quidem ad id, quod extra mundum ſenſibilem ponitur, non pertingit. Hinc ex pura de Deo idea ad eius exiſtentiam non valet conſequentia.

B.

De argumento cosmologico.

Argumentatio ontologica ex notione ſummae realitatis neceſſitatem collegerat exiſtentiae; cosmologica vero ex abſoluta entis alicuius neceſſitate infinitam eius realitatem evincere conatur; quae eſt demonſtratio a contingentia mundi ſecundum Leibnitz.

Si quid eſt, colligunt, etiam aliquid neceſſario eſſe oportet; iam vero totus, qui in ex-

Digitized by Google

perientiam cadit, eſt mundus, ergo ens etiam eſt abſolute neceſſarium. Ens porro neceſſarium per notionem ſuam omnimode debet eſſe definitum, per notionem ſcilicet entis realiſſimi; ergo eſt notio entis realiſſimi una illa, per quam ens neceſſarium cogitari poteſt, hoc eſt, ſummum ens eſt neceſſario modo.

Enunciatio ponit: quodlibet ens abſolute neceſſarium ſimul eſt realiſſimum. Per converſionem ſequitur: quodlibet ens realiſſimum ſimul eſt abſolute neceſſarium. Notio dehinc realiſſimi ipſam exiſtentiae neceſſitatem continere dicitur; quod quidem idem argumentatio ontologica ſumſerat falſo.

Ceterum in hoc argumento cosmologico multa inſunt vitia. Praeceptio illa transſcendentalis, quae ex fortuitis, cauſam adeſſe, colligit, intra mundum ſenſibilem vim habet, minime vero extra illum. *Deinde* ab impoſſibili infinita ſibi ſubſtructarum cauſarum ſerie in mundo ſenſibili non valet conſequentia ad primam cauſam extra illum. *Tum* ſeries iſta ita abſolvitur, ut omnis conditio tollatur, ſublata vero conditione notio tollitur neceſſitatis, quae ubi abeſt, nihil iam intelligitur; eſt igitur falſa iſta notionis tentata abſolutio ſeu perfectio. Denique logica notionis de omnitudine realitatis poſſibilitas permiſcetur cum transſcendentali, quae principio actualitatis (non cogitabilitatis ſolum) ni-

Digitized by Google

titur. Actualis vero quaecunque ſyntheſis redit ad experientiam.

Scholion.

Argumenta utraque, et ontologicum et cosmologicum, ſunt transſcendentalia. Etenim ipſum cosmologicum etſi experientiam in univerſum ſubſtruit, inde tamen ad puras notiones eſurgit, relictoque experientiae complexu ex poſita entis neceſſitate omnitudinem realitatis colligit. Nihil autem impedit, quo minus cuiusvis entis apud animum poſita exiſtendi neceſſitas ab eodem animo ut ſublata cogitari poſſit. Quare clarum eſt, regreſſum ad conditiones exiſtentiae numquam niſi poſito ente neceſſario, finiri, ab eodem vero numquam etiam initium ad expediendas conditiones fieri poſſe. Res deinde omnis redit ad regulam ſubiectivo rationis principio nitentem: ad quaecumque, quae in experientiam cadunt, quaere aliquid neceſſarium, hoc eſt, ne acquieſcas niſi in explicatione a priori abſoluta; abſolutionem vero ipſam nusquam ſperes. Quare nihil quod empiricum eſt, nonconditionatum eſſe altiorique explicatione exiſtimes te poſſe ſuperſedere.

Abſolute neceſſarium porro *extra* mundum poni debet, *in* mundo vero inveſtigari nequit; illaque de ente ſummo idea rationi principium

Digitized by Google

eſt regulativum, ut nexum in mundo quemcumque ita ſpectet quaſi ab una ſufficiente et neceſſaria cauſa proficiſcatur, ut explicatio ad ſyſtematicam et ſecundum leges univerſales neceſſariam unitatem procedat.

Eſt haec igitur regula unitatis abſolutae *formalis* cogitandi, haud vero *materialis* et hypoſtatica exiſtendi conditio.

C.

De argumento phyſicotheologico.

In rerum natura ubique haud dubia ordinis certique conſilii veſtigia reperiuntur, ſyſtematisque ſapienter conſtituti indoles ingenti cernitur tum rerum varietate tum ambitu infinito. Haec vero rerum cum conſiliis conſpirans indoles ac ratio naturae ipſi ita accidit, ut non niſi a principio mentis intelligentiſſimae proficiſci, ſecundum ideas optari et confici queat. Unde ſequitur, altiores eſſe debere cauſas, quae, haud coeco foecundandi niſu ſed libera et intelligenti vi omnia digeſſerint et perfecerint. Unitas porro tanta efficientis cauſae ex neceſſitudinis partium omnium mutuae unitate colligitur. Quidquid in experientiam cadit, hoc de uno omnium conſenſu et conſpiratione loquitur, unde analogice de ceteris parum iam cognitis idem licet argumentari.

Digitized by Google

His fere argumentis demonſtratio nititur ex phyſicis petita.

Tenemus primum, hac argumentatione, quae ex finibus et conſiliis in rerum natura conſpicuis colligit, formae, non materiae ſeu ſubſtantiae mundanae exiſtentiam fortuitam monſtrari, hinc mundi potius architectum quam creatorem evinci. Materiae enim fortuita exiſtentia aut ex argumento tantummodo transſcendentali aut prorſus non effici poteſt.

Concluſio autem a ſpectata mundi ad fines convenientia, a fortuita quidem eius indole, ad exiſtentiam alicuius ipſi ſatisfacientis eſurgit cauſae. Notio haec de cauſa illa definitum aliquid inferat neceſſe eſt, ſignificet igitur nomen ſummae potentiae, ſapientiae, omnis adeo realitatis.

Iam nemo eſt, qui obſervatae mundi magnitudinis neceſſitudinem et proportionem cum ſumma potentia, ordinis cum ſumma ſapientia, unitatis cum abſoluta auctoris unitate percipiat et intelligat. Hinc notio de cauſa mundi ſumma ex phyſicis exacte nequit finiri.

Per empiricam porro obſervationem tranſitus ad abſolutam totalitatem non patet; nihilominus tamen phyſicotheologica id tentat argumentatio. Primum admiratur mundi creatoris magnitudinem, potentiam et ſapientiam; tum ordinis in mundo conſpicui colligit exiſtentiam eſſe in ſe fortuitam ſeu contingentem. Ab hac, derelictis ceteris via empirica deprehenſis argu-

Digitized by Google

mentis, per notiones tranſcendentales ad exiſtentiam entis abſolute neceſſarii eſurgit, atque ex notione denique neceſſitatis abſolutae in cauſa prima poſitae ad notionem omnimode definitam, omnitudinis, dico, realitatis progreditur.

Argumentatio igitur phyſicotheologica in primo haerens conatu, inde tranſilit ad cosmologicam, quae quidem tecto modo eſt ontologica.

Nullum igitur trium horum, quae ventilantur, argumentorum id praeſtat, quod vult, invictam dico demonſtrationem; quamquam ad perſuaſionem non omni prorſus vi deſtituta ſunt.

* * *

Ut autem appareat, quid per haec argumenta effici poſſit, quid minus, rem paucis placet comprehendere.

a. Unam tantum modo eſſe argumentationem, eamque ontologicam, ex mere puris rationis notionibus procedentem, quae demonſtrationi ſatisfaciat, ex iis, quae diximus, apparet. Omnia enim argumenta in ontologia demum finiuntur.

b. Cum igitur argumentatio ontologica haereat, patet ſpeculativam demonſtrationem omnino dari nullam.

c. Theologia, quae ex ontologia et cosmologia procedit, eſt tranſcendentalis; ſubſiſtit in ente originario, realiſſimo, ente entium pertinetque ad deismum; quae vero notionem ex

Digitized by Google

natura (mentis humanae) finit, numenque accipit ſummae intelligentiae, eſt naturalis pertinetque ad theismum. Illa mundi admittit cauſam, haec eiusdem auctorem. Theologia porro numen perfectiſſimae mentis accipit auctorem aut naturalis aut moralis perfectionis cuiuscumque, illa eſt phyſicotheologia, haec ethicotheologia.

d. Quodſi in theologia transſcendentali (quae utramque et ontologicam et cosmologicam argumentationem complectitur) quaeras: ſitne aliquid a mundo diſcernendum, quod ordinis in mundo, eiusque ad leges univerſales cohaerentiae rationem cauſamque contineat? affirmandum hoc ſine dubio eſt. Eſt enim mundus complexus phaenomenorum, cui transſcendentalis, hoc eſt, purae rationi cogitabilis aliqua cauſa ſubſit, neceſſe eſt. Quam quidem cauſam ſi dicas ſubſtantiam omnis realitatis, neceſſariae exiſtentiae, nihil dicis. Omnes enim categoriae ad res experientiae poſſibilis pertinent, ſenſuque deſtituuntur ſuo, ſimul atque in res extra limites viſorum transtuleris.

e. Si quaeras: poſſitne ens tale ad analogiam ſaltim cum rebus cognoſcibilibus comparatum cogitari? utique poteſt; at tantummodo ut res in idea, non ut in realitate, hoc eſt, quatenus a nobis ut noncognita ſyſtematicae in condito mundo unitatis, ordinis et finium cogitatur ratio, quamquidem mens ſibi regulam proponit in exploranda rerum ſub ſenſus cadentium na-

Digitized by Google

tura. Non ineptum adeo erit, in illa idea anthropomorphiſmos quosdam admittere principio iſti regulativo inſervientes. Etenim illa idea non directe ad ens pertinet extramundanum, ſed ad principium unitatis in mundo ſyſtematicae regulativum, per ſchema quidem mentis ſupremae, refertur. Cauſa unitatis ſyſtematicae prima, qualis in ſe ſit, hoc per tales anthropomorphiſmos non proponitur.

f. Ex hoc ſimul apparet, ſapientem mundi auctorem poſſe et debere poni, ita tamen ut haec poſtio ſubiectivis rationis principiis nitatur, atque indicet, quomodo cauſa talis poſita a mente noſtra informetur; haud vero qualis cauſa iſta in ſe, hoc eſt, absque modo percipiendi noſtra, ſit comparata.

g. Licebit dehinc iſta de ente ſummo notione et poſitione uti in contemplanda rerum natura, modo teneas, te ideam ſequi, de cuius realitate ſuſpicio ſit, non demonſtratio.

h. Quamquam igitur nulla transſcendentali argumentatione efficitur, Deum eſſe; id tamen ex omni hoc quaeſtione reſultat; notionem de Deo, numine perfectiſſimae mentis, ſummae potentiae etc. neceſſario gigni modo, realitatem eius demonſtrando neque effici neque negari poſſe, eſſe vero rationi convenientiſſimum, tum ideam iſtam in contemplanda et exploranda rerum natura ſequi, tum exiſtentiam eius obiecti ponere, ſuſpicari et ex nexu cum viſis κατ' ἄνθρωπον definire.

Digitized by Google

Sectio 3.

De

Argumentis *ex teleologia* ad Dei exiſtentiam evincendam petitis.

A.

Introductio.

Teleologia univerſum eſt doctrina de finibus tum in rebus productis naturae ſingulis tum in univerſa naturae indole conſpicuis, pertinetque ad vim mentis iudicandi, iſtos fines et quaerentem et aeſtimantem.

Videmus enim in univerſo rerum ſenſibilium complexu multa ineſſe inſtituta, ſic ſibi iuncta et nexa, ut ad certa conſilia relata dictitare videantur, cur iam tali, non alio modo ſint comparata.

Suadent hoc *et* quaevis planta, cuius radices foliaque tenues per vias humorem alimentaque ſua bibunt; *et* animantium corpuſcula, quorum viſcera, oſſa, muſculi, nervi, organorum ſtructurae, certis quibusdam inſerviunt finibus. Accedit exterior univerſi iunctura, rerumque ſecum mutua neceſſitudo. Animantibus terra profert alimenta, ab animantibus aliis alia rurſus commeduntur animantia. Aer, aqua et ubique circumfuſus calor fovet plantos et animalia. Orbes caeli circum axem, circumque

ſolem volvuntur, ſoliumque immenſum ſyſtema ordine ac legibus cernitur moveri.

Quidni hoc nos impellat ut de cauſis tam conſpicuae, vel interioris rerum organicarum vel exterioris naturae univerſae, finalitatis quaeramus?

Iam mechanicae naturae leges, (ut illae de attractione et gravitate etc.) non tales ſunt, ut ex iis vel ſtructura vel conſervatio rerum organicarum poſſit intelligi; incidimus dehinc in diſcrimen, quod inter mechanicam technicamque intereſt inſtructionem; reperimusque principium, ſecundum quod ſingularis quaeque partium finalitas cum toto organici corporis ſyſtemate comparanda et aeſtimanda ſit.

Principium porro illud proficiſcitur ex vi iudicandi, idque agit, ut varietates rerum, ab intellectu non definitarum, in unitatem aliquam mittantur. Quae ut quaeri poſſit, neceſſe eſt, ponamus, leges cunctas et maxime diverſas naturae ab alio quodam intellectu, noſtro quidem ſimili licet non aequali, eſſe datas et finibus certis accommodatas. Etenim in natura inanimata nulla ineſſe poteſt tantae cum finibus conſenſionis cauſa; caecus naturae mechanismus certis non operatur conſiliis niſi ab acriore ad ea mente rite inſtructus et rectus. Cogitanda dehinc mentis ſublimioris ad naturae indolem et fines eſt operatio intelligens et finalis.

Digitized by Google

Neque tamen haec, de mente ſuprema rebus naturae ſecundum fines praefinitos intelligenter operante, cogitativo eſt obiectia, verum potius ſubiectiva et ab animi vi iudicante in principii loco ſic poſita, ut de natura poſſit quaerere, eaque, quae in ipſa ſingula deprehenduntur, ad univerſales leges digeſta cogitare. Haec quidem ſingula et varia, quae ex conſtitutivis intellectus notionibus explicari nequeunt, *finibus* tamen certis ponimus inſervire, praeeunte *finalitatis* notione.

Notio dehinc generalis, ad quam ſupra naturae varietates cogitari et ſtatui poteſt, eſt illa, de finalitate naturae, a pura animi vi iudicandi efformata.

Finalitas vero naturae *aut* eſt aeſthetica ſeu ſubiectiva, formalis, quae per guſtum, ſenſum iucundi et iniucundi, aeſtimatur, aut logica ſeu obiectiva, realis, quae per intellectum et rationem aeſtimatur. *Illa* ad naturae pulchritudinem, *haec* ad eiusdem fines pertinet.

Quamquam porro multa quidem inſunt in natura, quae finalitatem loquuntur obiectivam (quemadmodum nervi ita inſtructi et contexti ſunt, ut rerum ſenſibilium materiam animo offerant), minime hoc tamen nos moverit, ut principium finalitatis naturae tribuamus obiectivum et conſtitutivum, id quod neceſſitatem legis inferret; cum omnes tamen, qui percipiuntur, fines *nobis* fortuiti ſint, haud quidem in-

telligentibus, cur v. c. animantes alios bipedes quadrupedes alios eſſe oporteat et cur aliter inſtructi omnino eſſe non potuerint. Quare principium illud finalitatis univerſale in naturam nos ita introducimus, ut ſit problematicum ad rerum varietates fortuitas iudicandas, non intelligendas; neque naturam ipſam ponimus intelligentem, finibus finaliter operantem, verum ipſi potius contemplandae finalitatem praeponimus, regulam nobis praeeuntem uberiorem, cum leges mechanicae nobis non ſatis faciant ad poſſibilitatem quarumdam in natura inſtitutionum explicandam.

Quando quidem hoc finalitatis principio ducti de natura quaerimus, haec fere ſunt, quae in cenſum veniunt.

a. Non iam quaerimus de finalitate rerum ſubiectiva, quae ad naturae pertinet pulchritudinem ex aeſthetica iudicandi facultate aeſtimandam, ſed de *obiectiva*, quae ad res extra nos poſitas refertur, ex teleologica iudicandi facultate aeſtimanda.

b. Finalitas obiectiva aut eſt formalis, aut materialis. *Illa* ad rerum virtutes pertinet ex pura ratione demonſtrandas, ut eſt in enunciatis arithmeticis, geometricis, et ſcientiae naturalis legibus, *haec* ad rerum virtutes per experientiam cognoſcendas.

c. Finalitas materialis aut eſt exterior, (relativa) aut interior (abſoluta), *illa* res contem-

platur ut utiles ad vitam animantium, *haec* res contemplatur ut fines in ſe. Herba v. c. quatenus alendis inſervit animantibus, externa viget finalitate, quatenus vero productum naturae eſt organicum, finalitate viget interna, eſt finis in ſe, ad interiorem ſuam ſtructuram ſpectata.

d. Finalitas interior in rebus ſpectatur organicis. Res organicae ſunt fines naturae. Seſe enim invicem generant in genere ſuo; ſeſe generant ut individua, omniumque in ipſis partium eſt mutua neceſſitudo.

e. Res organicae, ut fines naturae, ex ſolo naturae mechanismo explicari nequeunt, aliam dehinc requirunt cauſam, eamque per notiones effectricem. Aliud igitur requirunt iudicandi principium, principio mechanismi ſuperius; quod eſt cauſarum finalium.

f. In rebus organicis nihil eſt fruſtra ſeu praeter finem; totumque rerum ſyſtema univerſali alicui fini inſervire credendum eſt.

B.

De Syſtemate teleologico, in exterioribus rerum organicarum rationibus conſpicuo, deque ultimo naturae, ſyſtematis teleologici fine.

Exteriorem rerum finalitatem vidimus eſſe eam, qua res una alterius inſervit finibus. Iam res, quae interiore haud vigent finalitate, (ut

Digitized by Google

aqua, terra, aer) in ſuo cum aliis nexu admodum poſſunt eſſe finales; cum iis quidem quae ſunt organicae et fines naturae.

Iam ſi quaeris, res aliqua cur adſit, reſponderi poteſt; eius exiſtentiam et generationem *vel* ſolis naturae evenire legibus mechanicis, hoc eſt, ad nullam referri cauſam intelligenter effectricem; *vel* aliquam eius exiſtentiae adeſſe cauſam ſecundum fines operantem; et haec quidem in omnes cadit res organicas.

Effectio quaedam ſic cogitata, ut ipſa etiam ſit cauſa efficiendi rem ſibi reſpondentem, dicitur *finis* ſeu ſcopus.

Finis cum exiſtentia coniunctus aut eſt extra rem poſitus, hancque conſtituit ut medium, vel in re ineſt ipſa, eamque conſtituit ut *finem ultimum*.

Nihil in rerum naturalium complexu eſt finis ultimus, niſi homo; cum unus ille ſit, qui cetera omnia in uſum transferat ſuum quique ideam de finibus efformet. Quare homo ultimus univerſae naturae finis eſt cogitandus.

*   *
*

Duo in mundi ſyſtemate reperiuntur ordines; unus ad ſenſibilem naturam; ad naturas morales alter refertur. Ad utrumque pertinet homo; corpore enim et anima ſenſibili, natura vero etiam morali praeditus eſt.

Digitized by Google

In tota vero natura ſenſibili nihil eſt, quod *finem abſolutum* contineat, ipſe enim homo, finis in natura ſenſibili ultimus, quodam tamen modo ut medium debet ſpectari.

Finis autem abſolutus (finalis) is eſt, qui nullá alio eget fine ut ſuae poſſibilitatis conditione, qui numquam ut medium ad aliud quid poteſt ſpectari.

Quaeri igitur poteſt, *primum*, quis ultimus ſit in natura tamquam ſyſtemate teleologico, *deinde* quis abſolutus in toto mundi ſyſtemate ſit finis?

Hominem non ſolum, (ut ceterae res organicae) finem eſſe naturae, ſed his in terris ultimum quoque finem eſſe aeſtimandum, ſupra iam diximus.

In *quo* igitur cernitur ultimus hominis his in terris ſcopus?

Si ſcopus qui producendus imperatur, homini ineſt ipſi, ille *aut* talis eſſe debet, ut per naturae ipſius beneficentiam queat expleri; *aut* in habitu et ſollertia cernitur dotibus naturae ad fines certos utendi. Ad *beatitatem* illud, hoc ad hominis ſpectat *culturam*.

Beatitasne igitur, an cultura ultimum hominis conſtituit finem his quidem in terris ſpectandum?

Notio beatitatis eſt idea hominis de conditione empiricis ſub legibus tali ac tanta adparanda ut omnibus votis optatisque reſpondeat.

Digitized by Google

Haec autem idea et in ſe eſt variabilis et tanta flagitat, quae numquam poſſint praeſtari. Neque porro natura hominis haec eſt, ut unquam deſinat concupiſcere, cum ſenſus et imaginatio ſemper nova pariant deſideria. Accedit, quod nec ipſa rerum natura maiorem hominis in producenda beatitate habet rationem, quam ceterarum rerum; cum ipſe non minus, quam cetera animalia, peſte, fame, frigore, aeſtu, periculisque innumeris vexetur; ne dicamus hominem homini ſemper eſſe et fuiſſe lupum, ut ipſi extinguendo generi ſuo operari videantur, quod inter alia dura deſpotorum dominatio et peſtifera belli barbaries loquuntur.

Beatitas dehinc pro ultimo hominis in hac terra fine non eſt habenda.

Quare ut ultimum in homine ipſo conſpicuum finem naturae cognoſcamus, videndum eſt, quid praeſtet natura ut hominem ad finem praeparet, quid homini faciendum ſit ipſi, ut ſeſe finem conſtituat abſolutum et finalem.

Cum finis materialis in beatitudine cernatur, atque hic ultimus, quod vidimus, eſſe nequeat, reſtat ut finis formalis in cenſum veniat, qui in ſubiectiva aliqua hominis conditione, in aptitudine cernitur ſua, ſibi ipſum finem ponendi naturaque, ſuis liberis finibus convenienter, utendi; et explorandi, quid natura ad finem abſolutum facere poſſit et propterea pro ultimo eius fine habendum ſit.

Digitized by Google

Productio vero aptitudinis, in ente ratione praedito, ad liberos ſuos fines dicitur *cultura;* haec dehinc eſt ultimus naturae ad genus humanum adſcribendus finis.

At quaevis cultura huic ultimo fini non ſatis facit. *Dexteritas* quidem ſeu ſolertia in primis ad aptitudinem pertinet, finibusque inſervit conſequendis, at haud ſuppetit *libertati* promovendae, quae in delectu finium cernitur; et ad totum aptitudinis finalis ambitum neceſſario requiritur.

Ut igitur homo aptus ſit ad fines conſequendos, neceſſe eſt, et *dexteritas* eius et *libertas* promoveatur. Illa poſitiva, haec negativa praeſertim eſt virtus, cerniturque in cultura diſciplinae ad voluntatem a libidinum dominio liberandam pertinentis.

Dexteritas generis humani non niſi per inaequalem hominum conditionem promoveri poteſt; quae ut finibus naturae conducat, neceſſe eſt, homines in civitate ſic iungantur, ut vis quaedam legitima ſtabiliatur. Sit denique civitatum omnium nexus ſocialis et cosmopoliticum ſyſtema.

Hominum dehinc in hac vita non ſolum eſt, ut fruantur, ſed etiam ut agant. At nec hoc ſolum nobis propoſitum ſit,ut agamus, ſed ut libere agamus, hoc eſt, ut, non dependentes a natura, finaliter ſic agamus, ut vel ipſa natu-

Digitized by Google

rae exiſtentia ſub hac ſolum lege tamquam finis poſſit ſpectari.

Ex his quae diximus clarum fit.

a. Externam rei finalitatem in utilitate eius cerni ad fines alterius conſequendos.

b. Omnes res organicas *et* fines eſſe in ſe, *et* aliis inſervire rebus.

c. Finem in natura ultimum eſſe hominem.

d. Naturam autem homini ſic inſervire, ut non tam ad eius beatitatem, quam culturam faciat.

e. Ultimum dehinc naturae in homine finem eſſe eum, ut genus humanum excolatur.

f. Culturam pertinere tam ad ſolertiam quam ad libertatem promovendam.

g. Promota ſolertiae et libertatis cultura gigni deſiderium ſublimiorum, in nobis latentium, ſcoporum.

C.

De

Fine mundi creati abſoluto.

Finis finalis ſeu abſolutus is eſt, qui nulla alia nititur poſſibilitatis ſuae conditione ac lege; eſt igitur nonconditionatus.

Nexus rerum finalis, ſi ad cauſam finaliter efficientem refertur, non patitur ſolum ut quaeramus, quare naturae mundi organicae hac illa

forma praeditae hoc illo cum aliis nexu iunctae ſint; ſed cum iam intellectus aliquis in cauſa eſſe cogitetur, ex qua poſſibilitas iſtarum formarum profecta ſit, idem nos pellit etiam ut de momento quaeramus, quo intellectus ille productivus ad effectum talem commotus ſit. Quod quidem momentum finem conſtituit finalem, cui ceterae res omnes inſerviant.

Talis ſcopus cum ſit nonconditionatus, a natura ipſa produci nequit. In natura enim vel ea quae eſt extra nos et materialis, vel ea, quae eſt cogitans in nobis et formalis, nihil eſt movens, quin ab alio moveatur; hoc eſt, momentum quodvis eſt conditionatum. Id igitur, quod per indolem ſuam obiectivam tamquam finis cauſae intelligentis finalis neceſſario eſſe ponitur, tale ſit neceſſe eſt, ut in ſerie finium a nulla alia reſtrictione niſi ab idea ſui pendeat.

Iam unum eſt naturarum in mundo genus, quarum cauſalitas *et* teleologica ſeu ad fines ſpectans *et* talis ſimul eſt, ut legem illam, ſecundum quam ſibi fines proponunt, nonconditionatam, a nullis naturae conditionibus pendentem inque ſe neceſſariam cogitent. Talis unius generis eſt homo, tamquam *νουμενον*, ſpectatus; in quo ente naturali et facultas ſupranaturalis (libertas) et lex cauſalitatis huius et obiectum adeo eius, quod ſummum ſibi

Digitized by Google

proponit ſinem, ad proprias ſuas virtutes cognoſcitur.

De hoc igitur homine ſicut de unaquaque natura intelligente, quatenus ens eſt morale, non amplius quaeri poteſt: quem ſit in finem? Eius enim exiſtentia ſummum iam in ſe continet finem, cui vel univerſam naturam pro viribus ſubmittit, vel nihil ſaltim in natura eſſe exiſtimat quod ipſi repugnare debeat.

Quodſi res mundi, quarum exiſtentia eſt dependens, cauſam requirunt ſupremam et finaliter efficientem, ſequitur hominem abſolutum eſſe creationis finem. Etenim ſublato fine ſummo ſeries ſibi ſubiunctorum finium non foret perfecta et fundata. In homine autem, eoque ente morali, legislatio apparet nonconditionata, finem conſtituens ſupremum, eaque ipſa eſt, quae dignum eum facit, ut ipſe ſit nonconditionatus mundi finis is, cui cuncta natura teleologice ſpectata ſubdita ſit.

Ex his, quae diximus, colligitur,

a. Mundum mere mechanicum omni carere fine, omnia enim nexu effectivo ſequuntur.

b. Res inanimatas fines eſſe non poſſe, cum earum nihil ſit aliud, niſi ut inſerviant.

c. Res organicas et fines eſſe et aliis inſervire.

d. Res animatas fines quidem eſſe, haud vero fines finales.

Digitized by Google

e. Unum inter animantes hominem eſſe finem naturae ultimum.

f. Finem naturae ultimum cerni in cultura, haud vero in beatitate promovenda.

g. Culturam pertinere et ad ſolertiam et ad libertatem.

h. Exculta libertate ſenſum et deſiderium ſuperioris enaſci finis et

i. Detegi hominis libertatem moralem, ex qua denique appareat

k. Hominem ſolum nonconditionatum totius mundi eſſe finem;[1] proptereaque pari cum omnibus naturis ratione praeditis vigere laude et dignitate.

Ut igitur homo per naturam ſuam moralem abſolutus eſt creationis finis, ita moralis eius perfectio perennis eſt ſcopus exiſtimandus et promovendus.

Libertas et moralitas, et, qui ex iis ſequitur, finis bonorum, immutabiles ſunt naturae intelligibilis ſcopi, etiam perennes ac ſtabiles, cum omnis ſenſibilis natura mutetur.

Numen perfectiſſimae mentis in creando mundo alium ſuperiorem ſibi non potuit proponere finem, quam hunc ut produceret naturas morales.

Digitized by Google

D.

De Teleologiae vi ad phyſicotheologiam.

Hactenus vidimus, mechanismus quantum differat a finalitate et quid ſit, cur fines varii uni et ſupremo ſcopo ſint ſubordinati, atque quomodo denique principia teleologiae naturalis in teleologia morali finiantur.

Duplex in natura ſenſibili cernitur nexus, effectivus alter, alter finalis. Mechanicus *ille* eſt, omniaque, in ſerie per legem cauſalitatis neceſſariam nectit; principium *hic* infert finalitatis, omniaque ex nexu finium ſpectantur et ponderantur.

Teleologia phyſica, quae de finibus in natura ſenſibili conditionatis habet; principio ſuo finalitatis regulativo ducta ponit, nexum finalem aliter explicari non poſſe, niſi poſita naturae ſenſibilis cauſa intelligente.

Hoc quid ad exiſtentiam Dei evincendam faciat, iam inquiramus.

*   *
*

Phyſicotheologia teleologice ſpectata eſt rationis conamen, ex finibus naturae empirice cognoſcendis cauſam naturae ſupremam eiusque virtutes colligendi.

Huic argumento nihil opus eſt ſubſtrui, niſi hoc: dari organica naturae producta. Haec

Digitized by Google

enim nos pellunt, ut rationem eorum quaeramus, quae in nulla alia, niſi, in cauſa naturam ipſorum intelligenter efficiente poni poteſt.

Omnis autem pſyſicotheologia, vel in ſummum faſtigium provecta, de fine mundi finali nihil aperit; quippe quae de hoc ne quaerat quidem. Quidquid autem poteſt valetque, ad hoc redit, ut notionem de cauſa mundi intelligente vindicet, cum pro noſtro cognoſcendi modo nulla alia notio poſſibilitati rerum ſecundum fines explicandarum ſatis faciat. Quam quidem notionem neque theoretico neque practico reſpectu amplificare et definire poteſt. Unde conſequens eſt, conamen illud irritum eſſe, neque theologiam ſed teleologiam phyſicam inde effici; cum nexus finalis in natura ſemper ſit conditionatus; et quem in finem tota ſit natura, hoc intra naturam ipſam ne quaeri quidem debeat; quia cauſa totius naturae extra naturam ponenda et quaerenda ſit.

Ex teleologica quidem mundi contemplatione mirum in modum evincitur, quam ſibi viciſſim utiles ſint res, quam apte varietates in re quaque conſpirent eiusque inſerviant internae finalitati; ut nihil ſit in mundo inutile ac fruſtra; ut omnia aliquem *intra* naturam finem ſpectent; ſi quidem res ut fines eſſe ponantur, ratioque noſtra mechanismum naturae non poſſit non ſubiicere auctori rerum intelligenti et architectonicis eius conſiliis. — Cum autem

Digitized by Google

res illae empirice tantum modo dentur, empiricaque admittant principia, intelligentem iſtam mundi cauſam, ſupremum quaſi artificem, definiendi; patet, nullas inde alias virtutes colligi poſſe, quam quae ex effectis architecti pateſcunt, duce quidem experientia; quae quidem, cum totum naturae ſyſtema numquam complectatur, et ſaepe haeſitat et argumentis ſibi (ut videtur) repugnantibus impeditur. Atque ponamus, fieri poſſe, ut totum naturae ſyſtema empirice contueamur, numquam tamen liceret naturam quaſi transvolare, deque eius totius in ſe exiſtentiae finibus quaerere, et notionem inde intelligentiae ſummae definitam aſſequi.

Inter notionem de cauſa finium intra naturam prima atque eam, quae eſt de natura Dei ingens intereſt diſcrimen. Naturae enim contemplatio magnam artificis ſui patitur poni perfectionem, notio vero de Deo omnem poſſibilem involvit perfectionem. Quam igitur diu nemo ex phyſicis evicerit, ei infinitam ſolum modo reſpondere vim efficientem, tam diu argumentum ex iis ad ponendam ſummae realitatis naturam haerebit.

Phyſicae dehinc teleologiae enunciatis pellimur, ut theologiam quaeramus; quam ipſa praeſtare non poterat. Ex tota enim naturae ſenſibilis ſecundum fines intra ipſam conſpicuos tentata contemplatione hoc efficitur: Naturam ad inſtitutiones ſuas finales ſpectatam ſic ſe ha-

Digitized by Google

bere, ut a mente intelligente effecta eique ſubiecta debeat cogitari. Eadem vero mens utrum ſibi in univerſo naturae ſyſtemate producendo finem etiam finalem (intra naturae ſenſibilis ambitum haud concluſum) propoſuerit, hoc theoretica naturae contemplatione evinci nequit; imo potius non liquet; illa ſuprema cauſa utrum ex finibus praefinitis finalibus an vero ex neceſſaria quaedam mentis indole (tamquam inſtinctu artificiali) has illas naturae formas indiderit, ſic ut ipſi propterea ne ſapientia quidem, abſit ut ſapientia ſumma cum ſuis coniuncta virtutibus adſcribenda ſit.

Phyſicotheologia itaque nihil amplius quam perperam intellecta eſt teleologia phyſica, viam ad theologiam ſic pandens, ut aliud contemplandi principium, cui innitatur, accedat.

Teleologia igitur phyſica intra naturae ſenſibilis limites ſubſiſtit; res, quae cernuntur, ut fines contemplatur naturae, de ultimo naturae fine quaerit, eumque non poteſt non ponere eſſe hominem. In hoc quid natura ſpectet, explorat, eiusque culturam ad ultimum reperit pertinere finem. Omnis autem finalitatis in natura ſenſibili conſpicuae rationem in intellectu aliquo finaliter efficiente reponere cogitur; qui intellectus utrum naturali ſua neceſſitate an vero finibus praepoſitis finalibus moveatur, iam non liquet; neque prius clarum fit, quam cauſas

Digitized by Google

adeſſe intellexeris, quae de fine finali extra naturam ſenſibilem ponendo te quaerere cogant.

E.

De Teleologiae vi ad ethicotheologiam.

Videndum iam eſt, an id, quod phyſicotheologia incaſſum tentaverat, teleologia vero phyſica magis praeparaverat quam ipſa iam praeſtiterat, alia via liceat aſſequi. Periculum in ethica verſatur theologia.

Ethica vero theologia conamen eſt, ex ethico mentium fine naturae evincendi cauſam eiusque virtutes definiendi.

Nemo eſt, quin iudicet, omnes res creatas, tanta arte confectas tamque variis ſibi finibus iunctas, et totam adeo ſyſtematum omnium compagem nullius eſſe laudis ac pretii, niſi homines vel mentes univerſum adſint, abſolutum creationis finem in ſe continentes.

Iudicium hoc in facultate neque cognoſcendi neque ſentiendi, verum appetendi ita pendet, ut non a ſenſibili ſed intelligibili potius momento proficiſcatur. Laus dehinc hominis abſoluta non in eo nititur, quod fruitur, ſed in eo, quod agit; in voluntate dehinc bona.

Finis igitur mundi abſolutus in abſoluta pendet mentium laude, quae cum in bona cerna-

Digitized by Google

tur voluntate, haec iam eſt, ex qua finis creationis finalis debeat finiri.

Quodſi in mundo finales reperiuntur inſtitutiones, finesque conditionati uni ſupremo et nonconditionato ſubiunguntur fini; facile potest, ſermonem hic iam non eſſe de fine naturae intra naturam poſito, ſed de fine exiſtentiae totius naturae omniumque eius finalium inſtitutionum, de fine igitur creationis ultimo, et in hoc quidem de ſuprema et neceſſaria conditione, ſub qua finis finalis, hoc eſt, momentum, quod ſummam mentem ad naturas mundi procreandas moverit, adeſſe poſſit.

Iam cum homo, quatenus ens eſt morale, finis cogitandus ſit creationis; hinc *primum* movemur, ut mundum accipiamus ſecundum fines cohaerere eſſeque cauſarum finalium ſyſtema; *deinde*, cum antea nobis neceſſe fuerit, fines naturae ad intelligentem mundi cauſam referre, principium ſimul nobis offertur, ex quo huius intelligentis cauſae indolem virtutesque, tamquam ſupremae in regno finium cauſae, cogitare, notionemque de ea noſtram definire poſſimus. Id quod per teleologiam phyſicam non licet, quippe quae notionem nec ſatis finitam et propterea ad uſum vel theoreticum vel practicum parum utilem obtulerit.

Quod cum ita ſit, cauſam originariam non naturae ſolum, ſed regno etiam finium morali legislatricem licet cogitare. Summum bonum,

Digitized by Google

quod in exiſtentia intelligentium ſub ethicis legibus viventium naturarum cernitur, cum regnante tali auctore et domino unice poſſit effici, requirit ut hic dominus ſit omnia ſciens, ne vel intimi animorum receſſus illum fugiant. Laus enim naturarum rationaliter agentium ab interiore animi pendet motu ac indole. Summa debet vigere potentia, ut naturam cunctam finibus ſupremis poſſit accommodare; ſumma porro bonitate et iuſtitia, hoc eſt, ſapientia, ut characteri optime agentis reſpondeat, omnibus denique ceteris virtutibus transſcendentalibus, quae ad tantum finem conſequendum requiruntur.

Tali modo teleologia ethica id ſupplet, quod phyſica incaſſum tentaverat; fundatque et exſtruit theologiam. Etenim teleologia phyſica ſibi conſtans nihil efficit niſi daemonologiam.

Fines naturae cauſas nos ponere cogunt intelligentes, fines vero morales cauſam nos ponere cogunt moralem, hoc eſt, auctorem regni moralis, effectorem ſummi boni. Fines naturae a poſteriori cognoſcuntur, hinc horum finium eſſe debere cauſam intelligentem a poſteriori colligitur. Fines vero morales a priori intelliguntur, hinc horum finium cauſam eſſe moralem, a priori colligitur.

Huc accedit, quod in animo lege morali commoto purum aliquod et morale exiſtentiae numinis ſummi et optimi deſiderium enaſcitur; optamus, inquam, ut ſit numen, ſub quo maio-

Digitized by Google

rem moralitas ſumat vim et amplitudinem, quodque novam officii praeſtandi praebeat vim et materiam.

Quod igitur ex cognito mundi fine abſoluto et ethico colligitur, ipſum etiam flagitat animi deſiderium mere ethicum. Utrumque ponit cauſam eſſe mundi, ſic finium dominum et legislatorem ut naturae etiam imperet, eamque ſuis accommodet finibus.

Sectio 4.

De Argumento ex ethicologia ad Dei exiſtentiam evincendam petito.

Vis animi iudicatrix res naturae ſecundum fines expendens momentis haud levibus pellitur ad cauſam mundi intelligentem ponendam. Praeter illam vero naturae finalitatem in nobismetipſis, inque notione de ente ratione libertateque praedito, ethica quaedam reperitur teleologia; quae noſtram cauſalitatem ad fines, et ad finem adeo abſolutum a nobis in mundo ſpectandum refert, mutuasque mundi ad finem illum moralem, exterioremque eius efficiendi poſſibilitatem rationes expendit.

Iam quaeritur, rationalisne nos cogat iudicatio mundum transſcendere, ad illumque naturae cum ethicis, quae nobis inſunt, nexum

Digitized by Google

principium advocare intelligens et ſummum, ut natura, ad moralem quoque interioremque legislationem, huiusque exſequendae poſſibilitatem relata, finalis nobis cogitetur.

Haec quidem teleologia ethica cum libertatis et naturae legislatione ita cohaeret, ut civilis legislatio cum vi exſecutiva. Quaerimus quid ſit, quod rerum ordinem ſecundum ideas producat, conſervet?

A.

Argumenti expoſitio.

Qui vel res ipſas vel earum quasdam formas fortuitas eſſe ponit, aliam dehinc earum cauſam adeſſe cogitat; is hanc vel in phyſico vel in teleologico rerum ordine, hoc eſt, in rerum ordine vel effectivo vel finali quaerit. Etenim quaeri poteſt, vel: quaenam ſit cauſa rerum efficiens et ſuprema, vel: qui ſit finis earumdem ſupremus et abſolutus? Hanc ſequens quaeſtionem principium ſtatuas, neceſſe eſt, hocce: ſi quidem omnino finis ſtet abſolutus a ratione finiendus, hunc alium non eſſe poſſe niſi hominem et naturam quamque adeo ratione vigentem, quatenus ſub legibus vivat ethicis.

Etenim ſi ex ſolis mundus conſtaret naturis vel vita vel ratione ſaltim carentibus, idem ille omni careret laude; quippe in quo nemo vivat,

Digitized by Google

qui, quid laus ſit, intelligat. Atque ſi vel ratione praeditae eſſent naturae pretium vero rerum ſecundum utilitatem et iucunditatem tantum modo aeſtimantes, ſibimet vero ipſis laudem aliquam libere haud comparantes, relativi tum quidam in mundo nulli vero abſoluti eſſent fines, ipſa enim talium naturarum exiſtentia fine careret ſuo.

Leges autem ethicae ita ſunt comparatae, ut finem rationi praeſcribant abſolutum; ipſaque illa ratio, quae in nexu finali ſibi ipſi ſuprema lex eſſe poteſt, ſeu, ipſa naturarum rationalium ſub ethicis legibus viventium exiſtentia finem mundi conſtituit ſupremum.

Lex porro ethica, quae formalis eſt rationis libertate utendi conditio, per ſe nos obſtringit a nulla alia pendens materiali conditione; ipſa vero etiam ſupremum nobis praefinit ſcopum, eumque imperat ſequendum tamquam ſummum quod per libertatem in mundo poſſibile eſt bonum.

Subiectiva vero conditio, per quam ſibi homo ſub lege ethica vivens finem proponere poteſt ſupremum, in beatitudine cernitur. Alterum dehinc eſt bonum phyſicum, morale alterum. Illud ſic quaerendum eſt, ut ſub obiectiva conditione, conſenſione inquam hominis cum lege morali, quam maxime promoveatur.

Duae igitur ſunt conditiones, quibus homo et quaevis adeo natura rationalis finita ſibi finem

Digitized by Google

abſolutum poteſt proponere; altera obiectiva ex lege procedit morali, bonumque imperat morale; altera ſubiectiva e neceſſitate proficiſcitur naturae, bonumque ſuadet phyſicum. Haec ſubiectiva illi obiectivae ſic ſubiuncta eſt, ut dignitas perſonalis ſpem et modum beatitatis definiat.

Finis itaque lege morali imperatus duabus cernitur partibus, moralitate et beatitudine, ſummo opere et aequiſſimo modo promovendis. Utraeque vero, cum iunctim promovendae imperentur, quaeritur, *quomodo* iunctim promoveri poſſint? quid ſit, quod illas iungat?

Iam ſi rationem audias, ambae iſtae ſummi boni a lege morali imperati partes quomodo per *cauſas mere naturales* ideae de fine, qui cogitatur, abſoluto convenienter iungi poſſint, nemo cogitando aſſequitur. Illa igitur, quae iubetur, *practica* finis ſummi per noſtras vires ſequendi *neceſſitas* non convenit cum *phyſica* eiusdem efficiendi *poteſtate*.

Idem, quod practica imperat notio neceſſarium, theoretica docet haud poſſibile eſſe, niſi cum libertate noſtra aliam, quam mere naturalem, cauſalitatem coniunxerimus. Alia in medium debebit advocari cauſa, per quam aequiſſima beatitudinis cum moralitate coniunctio poſſibilis queat cogitari.

Hinc ſequitur, cauſam mundi moralem non naturalem ſolum, hoc eſt, *auctorem mundi a*

Digitized by Google

nobis ponendum eſſe moralem, ut *finem* nobis proponere poſſimus legi *morali* convenientem. Qui *quam* neceſſe eſt ut proponatur, *tam* quoque neceſſe eſt, (eodem ſcilicet gradu argumentoque) ut Deus eſſe ponatur.

Quamquam enim lex moralis in ſe vim habet abſolutam, valetque etiamſi Deum eſſe non poſueris, finis tamen *totus*, qui ſequendus imperatur, quique in beatitudine legibus ethicis convenienter promovenda cernitur, ſtare nequit niſi poſita Dei exiſtentia. Etenim praeter moralitatem, cui obſtringimur, altera finis ſummi pars, unicuique enti finito a natura ita indita eſt, ut a lege morali haud extingui, verum potius regi queat. Atque lex illam ſibi moralis tantummodo ſubiungit, idque tali modo ut illam univerſalem eſſe velit, illamque talem ſequendam ſancte proponat. Quare et ipſa beatitudo univerſaliter ſequenda ad finem, qui imperatur, ſupremum pertinet.

Iam moralitati tantum ſtudere iubemur quantum poſſumus, eique operantes beatitudini univerſae ſimul operamur, haud curantes, quid et quantum beatitudinis inde vel ad nos vel ad alios redundet. Exitus vero non ſemper reſpondet votis, neque in noſtra eſt poteſtate, nobis aliisve tantum commodi impertiendi, quantum modo honeſtatis reſpondeat, nihilo minus tamen ſtat regula univerſalis finisque ab illa propoſitus. Ut igitur iſte proponi et immobi-

Digitized by Google

lis animo obverſari inque vita curari queat, cauſam ponere oportet talem, quae iſti fini in univerſum exſequendo ſatis faciat. Hanc cauſam ponere tam eſt neceſſe, quam neceſſarius eſt finis; eſt autem lege abſoluta ſtabilitus.

Finis autem ſummus ad ſummam, quae fieri poteſt, ſummi boni effectionem tendit, aequiſſimam dehinc ſemper et ubique moralitatis et beatitudinis proportionem flagitat; cui quidem rei unice Deus, hoc eſt, moralis mundi auctor et gubernator par eſt.

Poſitio dehinc Dei veri ad poſſibilitatem ſummi finis proponendi pertinet. Qui Deum negat, finem negat theoretice eſſe poſſibilem eum, quem practice neceſſarium non poteſt non agnoſcere.

B.

De
Argumenti moralis poteſtate.

Ratio pura, quatenus practica eſt, ſeu facultas liberum cauſalitatis noſtrae uſum per ideas movendi et regundi, et factis noſtris regulam ſcribit et finem conſtituit in vita ſequendum.

Hinc idea de fine libere et ſub lege morali ſequendo veritatem nanciſcitur ſubiectivam practicam. Ratione ducimur pura et ſola ad ſummum mundi bonum (quod in ſumma naturarum

Digitized by Google

intelligentium beatitate cum ſummo earum moralitatis gradu coniuncta cernitur) quam maxime promovendum.

Una huius ſummi boni pars, beatitudo, eſt et *empirice conditionata*, pendet enim ab naturae convenientia, et, quantum ſcimus, *problematica*, poteſt enim natura per ſe iſti fini vel convenire vel minus.

Altera vero pars, moralitas et poſſibilis cognoſcitur et dogmatis evidentia viget.

Ad obiectivam vero theoreticamque notionis, de fine naturarum mundi intelligentium abſoluto, veritatem requiritur, non ſolum ut nos finem animo propoſitum habeamus, verum etiam ut tota creatio ſeu mundus, quod ad exiſtentiam, fine vigeat abſoluto. Quod ſi pateret, ad ſubiectivam noſtri finis abſoluti veritatem obiectiva accederet realitas. Creatio enim ſi fine gaudeat aliquo, ille non niſi cum morali fine conſentiens a nobis cogitari poteſt.

Iam in mundo quidem fines, phyſica teleologia duce, inveniuntur, eademque nos ſuſpicari patitur, in natura nihil eſſe ſine fine, ipſe vero finis abſolutus in natura fruſtra quaeritur.

Hinc ſequitur, huius abſoluti finis obiectivam realitatem ibidem, ubi et eius ſita eſt notio, quaerendam eſſe, in ratione, dico, naturisque ratione praeditis. Quarum quidem ratio practica finem iſtum non ſolum prodit, verum etiam conditiones finit, ſub quibus finis creatio-

Digitized by Google

nis abſolutus unice cogitari poſſit. Finis autem creationis abſolutus mundi foret indoles, cum fine rationis practicae abſoluto exacte conſpirans.

Qui quidem cum a lege morali ſequendus imperetur, hoc nos movet, ut eius poſſibilitatem, rerumque naturam ipſi convenientem ponamus.

Morale hinc enaſcitur argumentum, ad finem creationis abſolutum cogitandum.

Iam cum talem mundi creati finem ponere cogamur, pari iure cauſam tantae ac talis creationis ſeu exiſtentiae rerum licebit animo complecti non intelligentem ſolum (qualem res naturae, ut fines, poſtulant) ſed moralem quoque, hoc eſt, auctorem mundi ſeu Deum.

Quod vicimus, hoc eſt: a nobis, ſecundum noſtrae rationis vim ac indolem, finis abſoluti *poſſibilitatem* aliter intelligi non poſſe, quam ſi auctorem et rectorem mundi moralem ſimul cogitemus legislatorem. Hoc enim poſito naturae cum fine bonorum ſtat convenientia.

Phyſica teleologice ſpectata fines admittunt, cauſamque naturae flagitant *intelligentem*; Ethica teleologice ſpectata finem ſtatuunt abſolutum, finemque flagitant creationis abſolutum mundique legislatorem *moralem*.

Digitized by Google

* *
*

Summmi dehinc moraliter imperantis Numinis realitas ita ſtabilitur ut *practicus* rationis *uſus* requirit. Poſito enim mundi legislatore morali nihil eſt, quod nos impediat, quo minus ſummo bono quam maxime promovendo ſtudeamus.

Apparet quoque, cum hic tantum modo quaeratur, qualem de numine notionem ad noſtrum intelligendi modum tenere liceat; tales Dei virtutes a nobis analogice cogitari, non in ſe Deum cognoſci poſſe. Neque etiam hic de natura Dei in ſe ſcrutanda quaeritur, verum potius id agitur, ut aliquid pro noſtris intelligendi anguſtiis cogitemus, quo cogitato voluntas moveatur noſtra.

Tali modo aliquid, quod ſit fundamentum poſſibilitatis practicaeque realitatis finis moralis neceſſarii, ponimus, idque ſecundum effectorum ab illo poſito exſpectandorum rationem cogitamus numen ſapiens, mundum moraliter gubernans, cauſam rerum a natura diſcernendam.

Ipſa autem haec notionem de Deo finiendi ratio, cum una illa ſit, quae noſtro intelligendi modo conveniat, et ad abſolutum pertineat finem, realitatem nanciſcitur practicam. Unde fit, ut principium, quod obiective et theoretice eſt regulativum, ſubiective et practice exiſtat

Digitized by Google

conſtitutivum, iudicioque inſerviat et aeſtimanti et conſtituenti.

* * *

Neque autem haec ex morali bonorum fine argumentatio prorſus nova et nunc primum inventa eſt, imo omnibus inſita ſemper fuit mentibus, progredienteque cultura magis magisque explicatur. Interior quaedam quaſi vox aequabilem fortunae cum honeſtate clamat rationem, cuius poſſibilitatem in nullo alio principio quam in cauſa ſuprema mundi viciſſitudines moraliter regente ponere licet. Atque etiamſi humana imbecillitas in efformandis cauſae ſupremae virtutibus perſaepe et vario modo lapſa ſit, ratio tamen regiminis in mundo moralis ſemper eadem manſit; talisque ab unoquoque homine ideis practicis a natura imbuto cogitata eſt.

Ratio enim practica cunctis ineſt hominibus, in cunctis operatur, finem praeſcribit, naturaeque ſecum poſtulat convenientiam. Clarius hic, ibi ſuppreſſius.

C.

De Argumenti moralis utilitate.

Argumenti moralis haec propria vis ac virtus eſt, quod rationem, reſpectu omnium de

Digitized by Google

ſupranaturali idearum, ad uſus practici conditionem revocat reſtringitque.

Hac reſtrictione cavetur, ne *theologia* vel in theoſophian, ſuis rationem transſcendentibus notionibus perturbantem, transvolet, vel in daemonologian, anthropomorphiſticam entis ſummi definitionem, delabatur; ipſaque *religio* neque in theurgiam, quae eſt fanatica de ſupranaturalium entium ſenſione inque eadem vi mutua opinio, neque in idololatriam abeat, quae eſt ſuperſtitioſum enti ſummo aliis rebus, quam animo moraliter recto, complacendi ſtudium.

Eſt enim idololatria vel theoretica vel practica. *Illa* in notione de ente ſummo cernitur tali, cui ſenſibiles adhuc immiſtae ſunt imagines et ſimilitudines. *Haec* in opinione verſatur ea, quae etſi theoretice iam libera purgataque ſit ſenſuum ludibriis, practice tamen Deo aliis, quam mere moralibus animi vitaeque ſtudiis, ſatisfacere autumat.

Utrumque cavetur reſtrictione rationis ad legem conditionemque uſus practici, quae nihil amplius patitur ponere, quam quod *propter* finem abſolutum poni neceſſe eſt. Praeter hanc, quae de exiſtentia, indole ac virtutibus numinis ſummi, de eius intellectu et voluntate, de utrorumque horum legibus et inde ad mundum effluentibus attributis ſcite iactantur, ea ut vim mentis theoreticam ſuperantia reiicimus.

Digitized by Google

Theoſophiam et daemonologiam fugientes Deum cogitamus mundi legislatorem et rectorem moralem; theurgiam et idololatriam evitantes convenientiam cum voluntate divina in nullo alio, quam puro ſanctitatis ſtudio cerni nobis perſuademus. Noſtrum ſit recte agendo Deum revereri verum.

D.

De certitudinis modo, qui in argumento morali cernitur.

Cuiusvis demonſtrationis haec debet eſſe vis ac ratio, ut argumentis vincat, non verbis perſuadeat. Hinc argumentatio non ſubiectivam ſpectet aſſenſionem artificiis rhetoricis eliciendam, ſed obiectivis nitatur et logicis cognoſcendi fundamentis, ut ne mens magis abripiatur quam doceatur.

Demonſtratio autem, quae aſſenſionem ſpectat, duplicis eſſe poteſt generis, vel enim de re, quid *in ſe* ſit, vel quid *nobis* ſit, hoc eſt, vel *κατ᾽ ἀλήθειαν* vel *κατ᾽ ἄνθρωπον* exponere conatur. Illud principiis ſufficientibus iudicii ſubſumentis, hoc reflectentis nitatur.

Iudicium reflectens principiis mere theoreticis nitens aſſenſionem haud efficit; idem vero practico rationis principio univerſali et neceſſario innitens moralem certe aſſenſionem poteſt flagitare.

Digitized by Google

Argumentatio vero aſſenſionem ſpectat, non efficit, cum viam ad iſtam ſic praeparat ut argumenta obiectiva inferat, ad certitudinem quidem haud ſufficientia, talia tamen, quae non mere ſubiectiva ſint principia et artificioſam perſuaſionem minime captent.

Quaevis autem demonſtrationis fundamenta faciunt vel ad logicam, vel ad analogicam concluſionem, vel ad opinionem veriſimilem, vel ad hypotheſin certe fundamenti explicationis poſſibilis loco poſitam.

Nullum vero demonſtrationis fundamentum, quod mere theoreticam ſpectat aſſenſionem, id efficit ut Dei exiſtentiam talis, qui moralis ſit mundi creator atque per quem ipſius creationis finis ſimul conſtet abſolutus, pro vero certoque habeamus.

1. De argumento logico, ab univerſali ad particulare procedente, ſupra iam vidimus. Ens, de quo notio efformatur, intra problematis limites ſubſiſtit; ex univerſalibus enim naturae principiis ad ens ſupranaturale nihil transferri, nihil igitur de eius exinde finiri poteſt vel exiſtentia vel virtutibus. Quod enim in naturam quadrat ſenſus ferientem, idem de rebus ſupra naturam cogitatis propterea iam dici non poteſt.

2. Quod ad analogian pertinet, (quae eſt identitas rationis cauſam inter atque effectum, manente tamen rerum extra rationem ſpectata-

Digitized by Google

rum diverſitate ſpecifica) ex rebus a ſe diverſis una ſecundum analogiam cum altera cogitari quidem, minime diverſitatis ſpecificae nota ab una ad alteram transferri poteſt. Haec enim translatio rationis niti debet paritate, qualis eſt ea, quae inter homines et beſtias intercedit. Utrisque enim communis eſt anima vitalis, ad unumque utrique pertinent genus. Quamquam igitur diverſae ſint ſpecies, idem tamen eſt genus, perque hoc ex effectorum ſimilitudine licet colligere, et beſtias ſicut homines ad repraeſentationes agere. Identitas generis paritatem dat rationis, paritas vero rationis ſimiles virtutes non cogitare ſolum ſed concludendo evincere patitur. — Iam Deum inter atque homines non par conſtat ratio, haud enim ad idem pertinent genus; nulla igitur intercedit notio generalis. Cauſalitas entium mundanorum ſenſibiliter ſemper conditionata eſt, ut intellectus humanus; quare cauſae mundi ſupremae cauſalitatem, collatis eius in mundo effectis cum artificiis humanis, ad analogiam intellectus cogitare, minime vero huius humani intellectus proprietates in illam transferre licet. Eſt enim ratio diſpar, principiumque ita concludendi poſſibilitatis; quod in rationis paritate generisque identitate cernitur, plane deeſt; hominis enim et Dei cauſalitates non eiusdem ſunt generis. — Neque tamen propterea, quod intellectum humanum in Deum transferre non licet, ipſae

Digitized by Google

ipſae iam numinis ad mundum rationes tolluntur, ſtat potius firma earum ad analogiam cogitatio omnibusque ſufficit conſequentiis iuſtis et theoreticis et practicis.

3. Opinio autem veroſimilis in quaeſtione de Dei exiſtentia nihil efficit; ne dicam argumenta pro iudicii alicuius certitudine eiusdem generis eſſe debere ut unam efficiant quantitatem (certitudinem). Unde ſequitur alteram argumentorum partem intra experientiae, alteram extra eiusdem terminos non poni debere. Hinc, cum empirica demonſtrationis argumenta ad ſupranaturale haud ducant, ex illis ad cognitionem rerum ſupranaturalium nulla appropinquatio, nulla igitur veriſimilitudo efficitur.

4. Ad hypotheſin, quae poſſibilitati rei alicuius explicandae inſerviat, hoc ſaltim requiritur, ut eius ipſius poſſibilitas intelligatur. Poſſibilitas entis ſupranaturalis ex notionibus certis definiti poni non poteſt, cum in cognitione noſtra nulla inſit conditio, qua ens tale cognoſci poſſit. Nihil igitur remanet niſi logica poſſibilitas, quae ad cogitationem, quam non negamus, haud vero ad rem cogitatam, de qua quaeritur, pertinet.

Ex hoc denique ſequitur, exiſtentiae Dei theoreticam demonſtrationem omnino dari nullam, ne minimum quidem certitudinis gradum efficientem, idque propterea, quod ad determinandas de ſupranaturali ideas omni caremus

materia. Hanc enim nos ex rebus depromimus ſenſibilibus, in ſupranaturale propterea haud quadrantem. Hinc, ſi ab omni diſceſſeris determinatione, nihil remanet niſi notio de aliquo nonſenſibili, ſupremam mundi ſenſibilis cauſam continente. At iſta notio haud iam eſt cognitio, nihil enim ipſi, praeter ſe, ineſt amplificationis; nihilque de interiore rei cogitatae indole ac propriis virtutibus profert.

E.

De certitudinis per ſidem practicam datae modo et gradu.

Si modum, quo *nobis* res aliqua eſſe poſſit cognoſcibilis, ſpectes, tum notiones non cum rebus ſed cum facultate cognoſcendi noſtra comparantur, quaeriturque qualis notionum vel theoreticus vel practicus ſit uſus. Quaeſtio dehinc de ente cognoſcibili hoc reſpectu propoſita ad poſſibilitatem non rei ſed cognitionis noſtrae pertinet.

Cognoſcibiles vero res ſunt vel opinabiles vel ſcibiles vel mere credibiles.

Opinabile eſt, cuius cognitio in uſu ſaltim poſſibilis cogitatur, qualis eſt aether elaſticus omnes materias permeans et fluidus. Ad opinionem ſic pertinet, ut a ſenſibus quam maxime acutis percipi poſſit. Opinabiles ſunt cete-

Digitized by Google

rorum orbium coeleſtium incolae ratione praediti. Accidere enim poteſt, ut de hac re certiores fiamus. Quidquid autem in experientiam ne cadere quidem poteſt, (ut mentes corpore carentes) ne opinabile quidem eſt; ens igitur rationis ratiocinantis, non ratiocinatae. Notio enim de ente rationis rationatae ad uſum rationis practicum certe afferi poteſt. Quin imo uſus rationis practicus, ſuis rectus principiis certis et evidentibus, notionum talium veritatem poſtulet.

Scibiles ſunt res facti, quarum obiectiva realitas vel theoreticis practicisque rationis datis vel intuitionibus reſpondentibus monſtrari poteſt, ut ſunt mathematicae quantorum proprietates et res uſu teſtimoniove cognoſcendae. Hac quoque rationis de libertate pertinet idea, cuius realitas lege practica in factis, hoc eſt, in experientia ipſa, monſtratur.

Mere credibiles ſunt res, quae, propter uſum rationis officio obſtrictum, vel principia vel conſequentiae, cogitari debent; licet theoreticum rationis uſum transſcendant. Huc ſummum in mundo per libertatem efficiendum pertinet bonum. Quod cum a ratione pura practica imperetur, poſſibile quoque cogitetur, neceſſe eſt. Hic, qui iubetur, effectus, cum unis ſuis, quae a nobis cogitari poſſunt, poſſibilitatis conditionibus, exiſtentia Dei animique immortalitate, *res* ſunt *fidei*, unae illae omnium rerum, quae

hoc nomine recte compellentur. Fidei tamen ſint liberae, ut moralitati credentis conveniant. Quae igitur fidei ſunt, ex ſola proficiſcuntur ratione pura, eaque practica; quae cum ſupremam moralitatis legem imperet, et poſſibilitatem eius ſimul ſummi finis, perque hunc conditionum ceterarum realitatem poſtulat.

Fides (ut habitus, non actus) in morali conſiſtit rationis affectione id credendi, quod theoreticam mentis facultatem ſuperat; *in perenni* igitur animi cernitur principio, id, quod ad ſummi moralis boni poſſibilitatem ponendum eſt, propter officii imperati vim pro vero habendi; theoretice quidem nec poſſibilitate nec impoſſibilitate intellecta. — Fides enim nude poſita in fiducia cernitur ea, quam propoſitis habemus iis, quae ſequi officium eſt, licet, *quo modo* perfici poſſint, nos quidem haud intelligamus. Fides dehinc moralis eſt ea, quam legis moralis promiſſionibus habemus. Eſt haec fides libera, dogmaticis rationis theoreticae argumentis haud quidem exſtructa, practicis autem prorſus ſufficientibus fundata. — Qui hanc ſibi legem ſcribit, ut teſtimoniis omnino nullis credat, *inſidioſus* dicatur. Qui ideis rationalibus, propterea, quod earum realitas theoretice monſtrari nequeat, omnem denegat vim et veritatem, infidus (ἄπιςος) dicatur. Apiſtia vero eſt vel dogmatica vel critica. Illa cum morali animi principio dominante ſtare nequit, finem

enim rationis practicae abſolutum irritum ac vanum eſſe ponit. Haec vero locum habere poteſt, quando propter inopiam argumentorum ſpeculativorum impeditur, quo minus aſſentiatur. Ipſa vero haec impedimenta ſic tolluntur, ut rationis ſpeculativae limites cognoſcantur, haec vero cognitio apiſtias vim in vitam moresque frangat, inque locum dubitationis theoretice obmotae praedominantia fidei practicae argumenta ſuccedant.

Ex his denique elucet, noſtram de Dei exiſtentia certitudinem ex nulla effici poſſe theoretica demonſtratione, verum potius ad ſolam redire fidem eamque practicam, practicis quippe invictisque argumentis (lege morali, fineque bonorum per illam propoſito) fundatam.

Haec quoque, quam promiſſis legis ethicae omnino, et exiſtentiae praeſertim Dei numinis moralis, habemus fidem, practica ſic eſt, ut reverentiam in nobis erga Deum, amorem fiduciamque producat et alat.

Quidquid agimus, ex officio agatur, quidquid credimus, propter officium credatur. Sit igitur officium principium illud, quo cuncta uniantur et regantur.

* * *

Fundamentum officii in lege ſitum eſt morali, haud vero in fine, qui ipſe ſequendus im-

peratur, abſoluto. Lex me iſta categorice ducit; non ſpectatis etiam materiis concupiſcentiae obiectis v. c. finibus. Atque haec formalis actionum conditio, (earum ſub principium univerſalitatis redactio) in qua ſola earum interior et moralis cernitur laus, in mea omnino ſic eſt poteſtate ut de finis abſoluti ab illa propoſiti poſſibilitate iam non cogitem. Cum vero ab eadem lege finis omnium naturarum intelligentium abſolutus, beatitudo, inquam, cum moralitate conſentiens, vi officii proponatur, ratio autem theoretica non videat, quo modo poſſibilis ſit, ſive noſtram ipſorum vim phyſicam ſive naturae effectionem ſpectaverit; eas, neceſſe eſt, ponat conditiones, ſub quidem ſolis ſummum illud bonum poſſibile cogitari queat; ponat igitur reſpectu morali idearum de Deo et immortalitate realitatem, h. e., credat,

---

Sectio 5.

De
Limitibus noſtrae de Deo cognitioni, per humanae facultatis cognoſcitivae anguſtias, ſcriptis.

Vidimus hactenus, a ratione notionem de Deo efformari et praeberi transſcendentalem, eiusdemque Dei exiſtentiam pro vero habendam eſſe, non quidem propterea quod vel ex puris rationis notionibus vel ex mundi contin-

gentia vel ex naturae indole ac virtutibus neceſſaria concluſione efficiatur, ſed quod per finem a lege morali imperatum poſtuletur. Qui quidem finis ut verus eſt, ita vera et certa credenda eſt numinis ſummi exiſtentia.

Credita hac, quae moraliter neceſſario ponenda eſt, Dei exiſtentia cetera omnia, quae ex ontologia, cosmologia et phyſiologia petuntur, mirum in modum conſentiunt, atque ad fidem practice iam ſtantem theoretice firmandam apprime faciunt.

Quidquid igitur ad exiſtentiam numinis credendam doceri poteſt, quod ad propoſiti rationem attinet, abunde praeſtitimus.

Supereſt ut, cum iam de notionis transſcendentalis veritate deque numinis ipſi reſpondentis realitate certi ſimus, de modo dicamus eo, quo noſtra de Deo notio transſcendentalis arctius definiri inque uſum et vitam vocari poſſit.

Aliud eſt, Deum noſcere, notionem ſibi de eo efformare transſcendentalem, aliud eumdem cognoſcere, hoc eſt, notionem de eo transſcendentaliter efformatam certius definire finibusque religionis accommodare.

Sunt autem, qui alii omnem hanc de Deo cognitionem irritam dicant nihilque admitti iuſteque cogitari poſſe contendant, praeter inutilem illam de cauſa prima notionem transſcendentalem; alii eo usque procedant, ut nihil fere humani relinquant, quin in Dei naturam velint

pleno ſenſu transferri. Utrosque pariter labi cenſemus.

„Notio de Deo, inquiunt, ratione gignitur pura et transſcendentalis eſt; cui quidem ullam in natura rem reſpondere monſtrari nequit. Quam vero ſi audes notis definire e rerum natura petitis, in vitium incidis anthropomorphismi, Deumque tibi fingis humanum non divinum. Atque tamen notio de numine rationalis *aut* certis et veris definienda eſt notis, *aut* friget iſta certo orba ſignificatu ineptaque ad religionem, quae efficax ſit, conſtituendam.“

Huic deiſtarum argumentationi non nulla ſacrarum litterarum effata ſuffragari videntur, quae Deum in luce habitare aſſerunt nobis inpenetrabili; rurſus vero refragari eo, quod Deum cognoſcibilem eſſe clara voce edoceant.

Paradoxon hoc, neceſſe eſt, aut diſſolvatur aut omnis prorſus concidat religionis vis et ſyſtema.

Conabimur has nubes diſpellere facem praeferente ratione teſteque Paulo ſubtili admodum et gravi rerum divinarum interprete. Rom. 1, 19. 20. 1 Tim. 6, 16.

Deum eſſe, omnium, demonſtrat Paulus, vi mentis percipi. Porro divinam, aſſerit, naturam ex univerſa rerum natura cognoſci.

Iam inviſibilem eſſe Dei naturam (*τα αοϱατα*) et tamen cognoſcendam ex rebus mundi creatis. (*νουμενα τοις ποιηµασι*).

Digitized by Google

Inviſibilis ergo Deus et rurſus cognoſcibilis? τα αορατα - νουμενα?

Haec obiter ſpectata ſecum pugnare videntur, diligentius vero expenſa vel acutiſſimae argumentioni ſatis faciunt.

Tria ſunt, quae diſputantur.

Primum. Cur et quatenus Deus inviſibilis nobis ſit et recte dicatur.

Deinde. Cur et quatenus cognoſcibilis nobis ſit et recte dicatur.

Denique, qui ſit fons et qualis quaſi materia, unde notionis amplificatio et definitio certior petatur.

In cenſum igitur veniunt 1. τα αορατα, 2. τα νουμενα. 3. τα ποιηματα.

Satis nobis ſit, hoc ita a Paulo diſputari, ut vel acutiſſimo reſpondeat ingenio; *quomodo* reſpondeat, hoc noſtrum eſt docere; noſtrum igitur ſit popularitatis ubertatem ad ſcholae ſubtilitatem modeſte quidem et ideo revocare, ut appareat perperam feciſſe omnes, quicumque diſciplinam chriſtianam vel pinguioris anthropomorphismi vel otioſi deismi accuſare conarentur.

A. Quodſi ſacrae litterae *primum*, neminem Deum nec vidiſſe nec videre poſſe, inviſibilem igitur eſſe eum dictitant, clarum eſt, hoc de facultate valere cognoſcendi ſuis circumſcripta limitibus. Iam vero cognoſcendi facultas noſtra his tenetur legibus, *primum* ut per for-

mas ſibi proprias cogitet, ultra quas quidem nihil cogitare poſſit; quidquid igitur cogitat, illud his quidem formis convenienter cogitare debet; *deinde* ut, quidquid finite cogitare velimus, illud ſub ſenſuum formis appareat. Quaeque dehinc res, quae cognitioni obiici poſſunt noſtrae, e rerum complexu ſenſibilium petendae ſunt; formis enim ſenſuum intellectûsque, quidquid finite cogitamus, aut convenienter cogitandum eſt, aut nihil praeter non *finitum* aliquid cogitamus. Materiae igitur ſenſuum formis obiiciendae et intellectus formis convenienter cogitandae, non niſi e ſenſibili peti poſſunt rerum natura. Quod igitur non ſenſibile eſt, illud in ſenſus haud cadit; quod in ſenſus haud cadit, intellectui praeberi nequit; ab hoc igitur per ſuas formas, in ſenſuum materiam unice quadrantes, finiri nequit.

Iam Deus inviſibilis dicitur, hoc eſt, talis, qui neque in ſenſus incurrat, neque ab intellectu, ſenſuum limitibus circumſcripto, capiatur ſeu: finite cogitetur.

Clarum eſt, hoc de natura Dei valere in ſe ſpectata; quam ſub ſenſuum formas, intellectûsque, e ſenſibus res ſuas petentis, anguſtias vocare, temerariae docetur eſſe arrogantiae.

B. Eumdem tamen Deum *porro* ſacrae litterae docent cogitabilem (νουμενον). Et profecto, ſi ab intellectus ſenſuumque formis diſceſſeris propriis, ſola remanet et pura de *aliquo* cogi-

Digitized by Google

tatio. Cognitio quidem negatur omnis, hoc eſt, quaevis per formas ſentiendi et intelligendi finita cogitatio; haud vero propterea iam omnis cogitatio.

Atqui pura, nullis intellectus formis finita, de numine cogitatio friget; finienda igitur eſt. Quaeritur igitur:

C. *quomodo* finienda ſit? Cum ipſe in ſe Deus neque in ſenſus cadat, neque ab intellectu capiatur, patet, ab ipſius in ſe ſpectata natura nullam peti poſſe finitionem. Supereſt igitur, ut, numinis naturam in ſe ſpectatam relinquentes, ad res tranſeamus ſenſibus intellectuique obiectas. Quas quidem vel ſingulas vel cunctas expendentes aliter *nos* quidem non poſſumus cogitare niſi a cauſa aliqua ſuperiore productas, digeſtas, rectas.

Cauſae talis ſupremae notionem a ratione efformari, nosque eiusdem veritatem (exiſtentiam) ex phyſicis ſuſpicari, ex ethicis vero credere debere, ſupra iam vidimus. Nunc id agimus, ut modum, quo notio de Deo iſta finiri poſſit, delineamus.

Sacrae litterae nos ad mundum diſerte amandant creatum, ad effecta cauſae ſupremae viſibilia et cognoſcibilia (ποιήματα). Ex his igitur Deum volunt cognoſci, hoc eſt, noſtram de eo notionem finiri.

Cum autem cognitio de numine *in ſe* ſpectato prohibeatur, nihil ſupereſt, niſi ut *ex nexu*,

qui numen inter atque effecta ſua intercedit, repetatur. Res dehinc omnis huc redit, ut videamus, quomodo Deus ad effecta ſua (ποιήματα) comparatus a *nobis* finite cogitandus ſit. A nobis, inquam, hoc eſt, pro noſtro res intelligendi, aeſtimandi, finiendi modo. Noſtra dehinc in medium vocatur cogitandi et finiendi facultas.

Iam ſi res naturae vel ſingulas vel cunctas ad interiorem exterioremque indolem ac nexum expenderis, eaedem ſimilitudinem aliquam cum iis referunt, quae ab homine intelligenter agente efficiuntur. Hinc ſequitur, Deum per nexum cum mundo ſuum a nobis propter ſimilitudinem, quae divinis cum humanis intercedit effectis non alium cogitari poſſe, quam *intelligentem.*

Cogitari, inquam, ita debet, non cognoſci. Cogitatur autem intelligens, non quod noſtrum in illum ipſum liceat transferre intellectum; ſed quod illum ad analogiam, quae inter ſuum cum mundo hominisque cum effectis ſuis nexum intercedit, talem liceat cogitare.

Finitio cuncta comparatione nititur. Comparationis partes ſunt a. effecta Dei b. effecta hominis c. intellectus humanus, per quem effecta dantur d. cauſa Dei non cognita ſed cogitata. — Hinc: Qualis eſt hominis ad effecta ſua ratio, talis quoque numinis ad ποιήματα ſua. Iam vero homo per intellectum, poten-

Digitized by Google

tiam etc. efficit, igitur etiam Deus per intellectum, potentiam efficiens cogitandus eſt, idque propterea quod ſimilitudo quaedam inter Dei atque hominis effecta, pro noſtra aeſtimandi facultate expenſa, intercedit.

Haec autem ſimilitudo inter rationes membrorum, haud vero inter membra intereſt ipſa; neque propterea, quod ſimilis eſt ratio, ſimiles quoque ponendae ſunt cauſae in ſe, hoc eſt, extra nexum et fundamentum comparationis ſpectatae. Nec porro immemores ſimus, hanc ex ſimilitudine rationum finitionem ad noſtram redire cogitandi facultatem, diſerteque hoc ſibi velle, ut, quod et quale nobis informari neceſſe ſit, idem propterea iam tale extra noſtram cogitandi neceſſitatem eſſe non debeat. Imo Deum in ſe credimus multo eſſe excellentiorem, quam noſter capiat intellectus.

Haec, quae ex mundi compage finibusque conſpicuis paratur notionis de Deo finitio, longe ſublimiorem capit amplificationem, ſi, quod ethica ſuadet, Deum non mundi ſolum viſibilis cogites conditorem intelligentem, verum etiam civitatis moralis legislatorem ſupremum.

Quodſi naturae indoles Deum nos cogitare patitur intelligentem, prudentem, potentem, lex nos iubet moralis eumdem cogitare ſanctiſſimum, beatiſſimum iuſtiſſimum, et propterea, intelligentiſſimum, potentiſſimum, praeſentiſſimum etc.

Digitized by Google

*   *
*

Ex his, quae diximus, ſi rationem ſubduxeris, apparet, facili negotio effici poſſe, quid de Deo cognoſci poſſit, quid minus.

a. Entis ſummi notionem a ratione efformari, dubium eſt nullum; vidimus enim, quod et quomodo efformetur.

b. notionem vero iſtam, ut a pura praebetur ratione, transſcendentalem et ad religionem parum accommodatam eſſe, pariter liquet. Neceſſe dehinc eſt, ut

c. finiatur. Quaeritur autem, an et quomodo finiri queat. Per ſenſus? Deus in ſenſus haud incurrit. Per intellectum? intellectus materiam ſuam ex ſenſibus haurit; qua quidem ſublata nihil remanet niſi merae cogitandi formae. Quapropter cum Deus in ſenſus non cadat, ipſis etiam intellectus formis finiri nequit. Unde conſequens eſt, Deum in ſe ſpectatum a nobis nullo modo cognoſci poſſe.

d. Pellit hoc nos, ut ab omni, interiorem Dei naturam cognoſcendi conatu abstineamus. Et tamen notionis finitio requiritur.

e. Videndum dehinc anne per analogiam aliquid effici poſſit.

Analogia autem eſt vel rerum vel rationum. Analogia rerum paritate nititur rationis. Rationem vero Deum inter atque ullas res ali-

as parem haud novimus; ad nullum enim rerum genus pertinet Deus.

f. Supereſt ut de analogia rationum quaeramus. Atque hoc fieri poteſt. Adſunt enim Dei effecta, quae per intellectum humanum ponderata ſpeciem referunt intelligentiae, prudentiae, potentiae etc.

g. Colligimus inde: rationem Dei ad mundum ſimilem eſſe rationi hominis ad effecta ſua. Hinc pro noſtro intelligendi modo Deum cogitamus intelligentem etc., eumque eo intelligentiorem, quanto excellentiorem intelligentiae ſpeciem eius referunt effecta.

h. Cum autem in mundo non fines ſolum phyſicae verum etiam morales conſpiciantur, Deum etiam his promovendis cogitamus reſpondentem; cogitamus igitur Deum non intelligentem ſolum naturae auctorem, verum etiam moralem mundi legislatorem, moderatorem, uno verbo, ſummi boni effectorem, numen ſummae ſanctitatis, ſapientiae, beatitudinis etc.

i. Haec quidem, quae per analogiam rationum efficitur *cognitio, ſumma* ſimul eſt, quae noſtrae conceditur imbecillitati. Ultra quam qui ſapere audet, in theoſophiam delabitur homini non datam.

k. Nec nos negamus, huic etiam per analogiam rationum amplificatae de Deo notioni aliquem ineſſe anthropomorphismum, haud vero

Digitized by Google

pinguiorem iſtum, qui humanis Deum vitiis commaculat, ſed ſubtiliorem illum, qui virtutes κατ' ανθρωπον cogitatas in rationes quidem, haud vero in Deum transfert ipſum. Quod autem pro tali loquitur finitione, eſt neceſſitas cogitandi. Quicumque enim mundi tum ſenſibilis tum intelligibilis indolem aeſtimat, non poteſt non cauſam eius cogitare intelligentem, moraliter agentem; quamquam libenter concedat, ſe ſic finientem nequaquam intelligere, quid Deus ſit extra nexum cum mundo *ſpectatus.* Haec autem notionis finitio

l. ut eſt neceſſaria, ita finibus ſatisfacit humanis. Lex enim moralis, quae ſummum imperat bonum, nihil magis poſtulat, quam ut Deum agnoſcamus eum, qui finibus abſolutis ſufficiat perficiendis. Talem eum et religio poſcit et analogia rationum demonſtrat.

m. Maiorem qui cognitionem capeſſit, fruſtra enititur, minorem qui prae optat, et minus praeſtat, quam poteſt, et claris animi moraliter affecti deſideriis repugnat. Notio de Deo noſtra aut certa ſit, aut nulla.

Scholion. 1.

Quando ſub nomen aliquod neceſſe ſit quaeque mittatur finiendi ratio; hanc, quam dedimus, ad theismum pertinere liquet. Cernitur

autem theismus in finienda notione de Deo transſcendentali. Quae quidem numinis realiſſimi finitio cum ex natura Dei ipſa peti nequeat, quippe quae dabilis non eſt, relinquitur, ut analogia quadam nitatur. Analogia eſt vel rerum, vel rationum; illa rem cum re, haec rationes cum rationibus confert.

Iam Deus ipſe cum nulla conferri poteſt re, quia notio deeſt generalis. Hinc analogia realis in cognitionem de Deo haud quadrat. Reſtat analogia ſymbolica, meris rationibus et ſignis defungens, idque evincens, quod aliquid in ſe non cognitum ad aliquid ſit cognitum; Modus hic per mera ſigna finiendi ad *theismum ſymbolicum* referatur; unum illum, ad quem nos eniti et religionis deſiderio ſatis facere poſſumus.

Scholion. 2.

Si dicta ſacrarum litterarum ad artem placet revocare, unus eſt ille analogia rationum defungens theismus ſymbolicus, quocum exacte conſentit diſciplina chriſtiana.

Fuere, quibus haec in doctrinam ſanctam translata ſubtilitas diſpliceret. Patior, modo oſtendant, iſti aliquid offenſionis ineſſe. Fuere, qui ſacros ſcriptores de ſymbolico theismo ne cogitaſſe quidem clamarent. Concedo, quando

de verbis ſermo eſt, at doceant, aliam quamdam poſſibilem dari hypotheſin, qua dictorum ſecum conſenſio ex oriatur. *Verba* artis deſint, ſi *rei* ratio habeatur. Fuere etiam, qui Paulum et ceteras S. ſcriptores analogiam *rerum* adeo ſtatuiſſe contenderent. Vix credo. Ergone Paulus lucem penetrari poſſe dixerit, quam inpenetrabilem idem dictitat? Quid enim rerum analogia aliud praeſtat, quam notam pluribus rebus communem, notione enim nititur generali, toti generi propria. Iam vero *nulla* conſtat notio, Deo hominibusque communis, nullum genus, ad quod utrique referantur, deeſt igitur fundamentum analogiae realis. Et Paulus ipſe hoc tollit fundamentum, Deum in ſe luce circumfuſum dicens nobis prorſus inpenetrabili. Iam cum in ſe ſpectari nequeat, nihil remanet niſi eius quaedam cogitabilis *ratio* ad analogiam cum aliis rationibus ſiniendam. Iſta ratio per noſtrum ponderata intellectum, Deum nos patitur cogitare *quaſi* idem per intellectum naturam condiderit, digeſſerit, regat. Anne vero hunc intellectum Deo in ſe ſpectato adſcribere liceat? Sunt qui dicant; et vel Paulum ipſum concedere aſſerant, ut humanas virtutes, in ſumma perfectione et infinitate cogitatas, in Deum transferamus. Rogo primum, ubi concedat; deinde quid ſuperſit, ſi e virtutibus humanis, quidquid imperfecti et limitati adhaeret, cogitando removeris. Quid enim eſt

intellectus absque noſtris anguſtiis (v. c., quod per notiones et formas cogitat, quod materiam e ſenſibus petit, quod diſcurſivus eſt, non intuitivus etc.) cogitatus? Nihil remanet praeter facultatem res varias unitate comprehendentem. At quomodo comprehendat? quali unitate? quae varia? De his nihil eſt dicere; ergo talis intellectus problematica tenetur notione, tam lata et vaga ut certi nihil inſit. Pariter cum ceteris.

Relinquitur ut et Paulum admittere credamus id quod unice admitti poteſt, translationem, dico, humanarum virtutum in *nexum* numinis cum rebus cognoſcibilibus. Quare Deum quidem cogitamus intelligentem, potentem etc., at vero *κατ' ἄνθρωπον*, hoc eſt, pro noſtro cogitandi modo.

Ergone anthropomorphismum tamen admitti neceſſe eſt? utique! ſymbolicum vero rationum analogia nitentem, rerum effectarum ſimilitudine fundatam. Qua reſtrictione ſemel poſita non neceſſe eſt, ut orationem, praeſertim popularem, ad artem ſcholae ſemper informemus.

Negata vero rerum analogia neque revelationis veritas, neque divini ſplendoris demonſtrandi poſſibilitas negatur; cum quaeque numinis ſummi in mundo viſibili demonſtratio per *effecta* fiat; quae ad cauſam ſuam relata ſatis oſtendunt, qualis cauſae ad effecta ratio cogitanda ſit.

* * *

Cauſam mundi qui ex notionibus mere transſcendentalibus finit, Deum credit, qui ex naturae ſenſibilis laudibus, Deum intelligentem; qui ex mundi fine abſoluto, Deum moralem. Nos quamlibet pro noſtro informandi modo neceſſario finitionem iure admittentes ab notione finis abſoluti initium facimus, Deumque cogitamus cauſam mundi moralem, ſanctam, beatam, ſapientem, et propterea intelligentiſſimam, potentiſſimam, praeſentiſſimam, aeternam etc. Hoc modo omnia ſic uniuntur, ut uni inſerviant fini abſoluto vel in nobis vel extra nos exſequendo.

Sectio 6.

Dolendumne ſit, quod noſtram de ſe Deus cognitionem tam anguſtis circumſcripſerit limitibus?

Qui ea quae hucusque de Dei natura diſputavimus eo expendat conſilio, ut intelligat, quid conſecuti ſimus quid minus, eius animum fortaſſe ſubeat mirari et dolere, quod tam curta nobis ad perſpiciendam numinis naturam impertita ſit ſupellex. Etenim ex omnibus, quae diximus, hoc demum efficitur, nos de Dei exiſtentia theoretice nihil certi finire poſſe, quamquam practica ſuis ſtet ſides argumentis

nullaque theoretica everti queat argumentatione. Quod autem ad naturam Numinis certius definiendam attinet, patet illam in ſe ſpectatam a nobis nullo modo poſſe perſpici et vel analogicam, quae nobis conceditur, cognitionem nulla re niſi ſimilitudine aliqua rationum niti, hac limitatam conditione ut bene meminerimus, iſtam pro noſtro cogitandi modo, haud vero ad Dei naturam in ſe ſpectatam efformari et valere.

Acciderit, inquam, fortaſſe, ut de his cognoſcendi anguſtiis queratur quisquam, Deumque homines propterea neglexiſſe pronunciet. Quod quo iure fiat et factum ſit, age iam paullo diligentius inquiramus.

Pone Deum votis reſpondiſſe noſtris, tantamque nobis ipſum vel intelligendi vim conceſſiſſe vel lucem affudiſſe, ut quid in ſe ſit, quod ſit et noſtram animi immortalitem pleniſſime perſpicere et quaſi intueri liceat; quid inde conſequens foret? Noſtra ſi ceterum eadem maneret natura, ſenſuum tamen appetitus primo inſurgerent, ut ſibi ſatis fieret, flagitantes, lex deinde inſecutura eſſet moralis iuſtis libidines coercens limitibus. Iam pugna exoriretur. In qua, ut iam natura habet noſtra, animus contra coecos ſenſuum appetitus enitens ſenſim vires acquirit ſolo legis moralis pondere et maieſtate ſuſtentatus. Fac vero Deum aeternitatemque cum terribili ſua oculis ſemper obverſari maieſtate. Quid accidet? Momento,

quod e legis moralis ipſius vi et maieſtate pendet, nullae in movendo animo partes erunt; cum ſtimulus obſequii *exterior* tam ſemper praeſens quam terribilis ſit; contra legem nihil quidem peccabitur, imo, quod imperat, praeſtabitur, haud vero per vim rationis ex legis officiique maieſtate collectam, in diſcrimine adverſus libidines acquiſitam, proprio quaſi marte enitentem; ſed propter ſpem et metum, quem res exteriores (Deus et aeternitas) iniiciunt.

Legalitas inde actionum, haud vero moralitas exiſteret. Vera enim agentis laus ex obſequio erga propriam interioremque legis vim officiique maieſtatem redundat inque animo moraliter moto cernitur.

Quodſi tanta, quam multi exoptant, nonnullique adeo prae ſe ferunt, nobis de Numinis immortalitatisque natura conceſſa eſſet ſcientia, haec ipſa quoque effectura eſſet, ut, quem in finem noſtra ceterum eadem, quae iam eſt, ſtaret natura, noſter agendi modus in merum abiret mechanismum, per quem, quaſi automata vita carentia, legaliter recti moraliter nihil faceremus.

Quod quidem iam ſecus eſt; cum ita comparati ſimus, ut admodum obſcurus ancepsque futuri pateat proſpectus, mundi praeterea rector ſuam nos exiſtentiam maieſtatemque ſuſpicari, non intueri ſeu evidenter demonſtrare patiatur, lex contra, quae nobis ineſt, moralis,

Digitized by Google

nihil certo neque ſpondens neque comminans, abſolutam ſui flagitet reverentiam; quae cum efficax dominansque eſſe coepit, tunc demum et hac ſub lege regnum nos ſpectare patitur ſupranaturale, obſcuris quidem luminibus cernendum.

Quae cum ita ſint, et animus legi vere dicatus locum poteſt habere et interior mentium parari laus, ipſisque ea impertiri ſummi boni pars, qua ſe per moralitatem non legalitatem dignas fecere.

Credimus igitur, quod et ſtudium naturae quaquaverſum teſtatur, divinam, per quam ſumus, ſapientiam non minus venerabilem eſſe propter ea, quae dederit, quam quae negaverit.

Sectio 7.

Doctrinae de Deo divinitus revelatae expoſitio.

Quae hactenus diſputavimus, ad artem diſciplinae pertinent propaedeuticam, viamque muniunt ad pleniorem de natura Dei expoſitionem. Vidimus quid ratione duce de numinis vel natura vel exiſtentia effici poſſit quid minus; ſatisque tutos nos reddidimus vel ab inimica male philoſophantium perturbatione vel ab arrogantiae periculo, didicimusque et tenere,

Digitized by Google

quae teneri poſſunt, et modeſte abſtinere ab iis, quae mentem ſuperant noſtram.

Iam id agimus, ut, quae de Numinis virtutibus pro noſtro cognoſcendi modo, duce revelatione, religionisque cauſa tenenda ſint, uberius exponamus.

A. Notio de Deo.

Notionem de Deo, numine ſummo, ita pervulgatam eſſe ſacrae litterae edocent, ut eius eliciendae et efformandae largam et ſemper praeſentem occaſionem dederit contemplatio mundi tum phyſici tum moralis. Rom. 1, 19. „το γνωϛον του θεου φανερον εϛιν ἐν ἀυτοις.“ De prima dehinc notitiae de Deo origine, hiſtorica utrum ex revelatione ſupranaturali an ex propria mentis vi ac contemplatione innotuerit, nihil finiunt, ſe ſaltim nec prorſus inauditam nec novam proferre notitiam diſerte declarant.

Vox igitur της φανερωσεως ſacris ſcriptoribus in hac re uſitata nullis praeter neceſſitatem anguſtiis circumſcribenda eſt. Valebit enim de patefactione tam ſupranaturali quam naturali neque vim mentis excludit in contemplatione rerum verſantem. Act. 14, 15.

B. Exiſtentia Dei.

Iidem ſcriptores popularitatis magis quam ſcholarum ſubtilitatis ſtudioſi nusquam, Deusne

Digitized by Google

ſit, acuta demonſtratione evincunt; imo ſatis ſibi feciſſe videntur, ubi, Deum eſſe, ponant, nosque, quod ſit, et qualis ſit, hoc contemplatione rerum ab ipſo effectarum aſſequi poſſe ſignificent. Quare nuspiam de numine, quod ſit, ſed quod et quale ſit, hoc eſt, de numine mundi ſimul creatore, legislatore, rectore etc. ediſſerunt; ſtultosque dicunt eos, qui negent: Deum eſſe Pſalm. 14, 1. אָמַר נָבָל בְּלִבּוֹ אֵין אלהים.
Atque hanc Dei veri abnegationem pravae magis voluntati (quippe quae ſibi ob ſcelera timeat) quam argumentorum inopiae adſcribunt v. l. c.

In celebrando autem Deo caeli terrarumque creatore multi et facundi ſunt ſacri ſcriptores. v. Pſalm. 8, 2 ſq.

Iehova, domine noſter!
Quam te celebrat terra, late patens,
Tuas ad ſidera laudes extollens.
Ipſa iam infantium tuis perſonant
Ora laudibus: — in pudorem inimici,
Ut obmuteſcat inſaniens hoſtis.
Enimvero, caelum ſuſpicio tuis manibus factum,
Lunamque, ſtellasque creatas:
Ecquid homo, cuius tantum memineris?

Pſ. 19, 2 ſq.

Deus! tuum coeli celebrant decus,
Tuaque aether innuit opera,
Dies Diei, nox nocti loquitur etc.

Act. 14, 15 — 17. Ευαγγελιζομενοι υμας ἀπο τουτων των ματαιων ἐπιςρεφειν ἐπι τον θεον ζωντα,

ὁς ἐποιησε τον ουρανον και την γην και την θαλασσαν και παντα τα εν αυτοις. Ὁς ἐν ταις παρωχημεναις γενεαις ἐιασε παντα τα ἐθνη πορευεσθαι ταις ὁδοις αυτων. Και τοι γε ουκ ἀμαρτυρον ἑαυτον ἀφηκεν, ἀγαθοποιων, ουρανοθεν ἡμιν ὑετους διδους και καιρους καρποφορους, ἐμπιπλων τροφης και ἐυφροσυνης τας καρδιας ἡμων. cfr. cp. 17, 23—25. et Rom. 1, 19—20.

C. Nomen Dei.

Variis ſacri ſcriptores Deum ſignificant nominibus, ad virtutes plerumque ex operibus eius conſpicuas efformatis.

1) אֵל שַׁדַּי, *ισχυρος κραταιος*, robore et magnitudine excellens. Gen. 17, 1. „Ego ſum Elſchaddai, coram me vivito piusque eſto.“ Quo nomine antiquiſſimo Deus Patriarchis innotuiſſe memoratur Exod. 6, 3. Deus Moſi „Ego, inquit, ſum Iehova. Viſus ſum Abrahamo, Iſaaco et Iacobo nomine Elſchaddai, nomen vero meum Iehova ipſis haud innotuit.“ Et profecto magnitudo eſt, qua Deum primum ſe mortalibus adnunciare decet.

2) אֱלוֹהַּ in antiquiſſimo Iobi libello cap. 3, 23. *Colendus*, ab arab. אלה coluit. Unde אֱלֹהִים idola, idem fere quod *σεβασματα* Act. 17, 23, rudium aetatum daemones, ſimulacraque; quae coluntur. Sic elohim de Diis 1 Reg. 9, 33 de angelis Pſalm. 8, 6. et de magiſtratibus Exod.

Digitized by Google

21, 6. Numerus etiam pluralis praeſertim ante Moſem de Deo uno et vero uſurpatus eſt.

3) יְהוָה, יָה, Οντωτης, Οντουργος, ut finitur Exod. 3, 14. אהיה אשר אהיה Apocal. 1, 4. ὁ ων, ὁ ην και ὁ ἐρχομενος. Sunt, qui legi velint (Wahl Habakuk. p. 217. ſicuti Capellus et Scheid) יַהְוֹה Iahwo, cuius ſimile Ιαω eſt apud Diodorum Sic. Hiſt. L. 1. P. 2. et Ιαυω in fragmento Sanchuniathonis apud Philonem Biblium, ſervato in Euſeb. de praeparat. Evang. Lib. 1, cap. 9. In antiquo Iſidis ſimulacro ſcriptum erat: „ego ſum, quod eſt." inque Pyramide Said. perantiqua reperta eſt inſcriptio: „ego ſum, quodcumque eſt, fuit, eritque, nec quisquam mortalium me revelavit. Item in templo Serap. nomen Iao ſeu Ihaho in fronte pectoreque geſtare ſolemne fuit. An vero Moſes, quod nonnulli volunt, ſummi Dei nomen ex Aegyptiorum ſacerdotum ſcholis mutuatus ſit, non liquet. Ceterum nomen Ia et Iehova Deo uni οντως οντι, ſemper eidem, a Moſe et ceteris ſacris ſcriptoribus proprium vindicatur Levit. 19, 12. Pſ. 68, 5. Eſai. 42, 8. Huc pertinet nomen יהוה צבאות, quod dominum exercituum innuit, Deum belli quaſi. 1 Sam. 17, 45. Numinis enim ſimulacra a flaminibus manu geſtata exercitum in deſerto praecedebant, populumque in aciem ducebant. Sic populus ex Aegypto diſcedens iam Zebaoth Iehova, i. e., exercitus Dei dicitur Exod. 12, 41. Porro, cum ſidera pro

exercitibus coeli angelis habitati haberentur, I'hova Zebaoth eſt dominus exercituum coeleſtium. Kol Zeba haſchamajim, totus coeli exercitus de orbibus coeli iam eſt. Deut. 4, 19. Hinc I'hva Zebeoth fere eſt latinorum: coeli terrarumque dominus.

4) עֶלְיוֹן ὑψιςος Gen. 14, 18. Ehl eljohn Deus maximus, excelſus.

5) חַי ζων Gen. 16, 14. אֱלֹהִים חַיִּים Deuter. 5, 23. 2 Reg. 19, 4. id quod ϑεος ζων Act. 14, 15. Io. 6, 57. Nomen quod Deum vitae ſignificat auctorem, eumque ab imaginibus ſecernit vita carentibus.

6) אֲדֹנָי Gen. 15, 2. (ab אדן baſis) dominus. In numero plurali אֲדֹנִים per eminentiam de Deo. Malach. 1, 6. Pſ. 136, 2—3. Ubi Deum vates celebrat I'hva, elohé elohim, adoné adonim.

Haec de nominibus Deo a ſacris veteris memoriae ſcriptoribus vindicatis, quibus, quae in N. T. occurrunt, ϑεος, κυριος et alia facile adduntur. Pergimus ad notionem de Deo e ſacro fonte diligentius finiendam.

D. Virtutes Dei.

Quaeſtio de virtutibus Dei ſummi ad notionem de cauſa rerum omnium prima pertinet finiendam. Finitio iſta ex duplici poteſt repeti

Digitized by Google

fonte, ex mundo, inquam, tum ſenſibili tum morali.

Iam cum omnis de Deo doctrina ad inſtitutiones primum pertineat morales, ex his quoque notio de numine primum eſt finienda, deindeque omnia ea addenda, quae theoreticae notionis finitioni inſerviunt.

Qui quidem finiendi ordo ut rei quam optime convenit, ita cum inſtitutione chriſtiana apprime conſentit. Haec enim Deum moralem venerari, eius voluntati morali obtemperare, vitamque eius virtutibus ethicis convenientem vivere docet ſuadetque. „Ut ſitis, Ieſus inquit, perfecti, quemadmodum Pater coeleſtis eſt perfectus.“ „Eſtote ſancti, inquit I'ehova, ego enim ſum ſanctus.“

I.

De Ethicis Dei virtutibus.

Lex nos moralis obligat ad ſummum bonum cum in nobis tum extra nos promovendum. Summi boni pars altera eſt moralitas, altera beatitas. Haec ſic ſequenda eſt, ut illi ſemper conveniens reddatur. Quodſi per hominem debeat effici, neceſſe ſit, ut univerſae rerum naturae imperare, eamque ethicis ſuis finibus convenienter movere et regere poſſit. Alioquin

Digitized by Google

enim ſummi boni pars poſterior, hoc eſt, beatitas ſub lege univerſalitatis effici nequit.

Quae quidem vis et poteſtas cum in hominem haud cadat, lex tamen moralis nihilominus ſui reverentiam et obſequium imperet, eadem ipſa nos movet ut de cauſa, quae tantum dare poſſit effectum, cogitemus. Ponimus igitur, legis ethicae ſanctitate provocati, Deum, ſummi boni effectorem.

Quodſi quaeras, qualis ille per legem ethicam poſitus Deus debeat cogitari, reſpondendum eſt primum in genere.

Ab homine morali Deum id cogitandum eſſe numen, *quod rationem in ſe contineat ſufficientem, per quam ſummum bonum et completa conſilii moralis in mundi ſyſtemate exſecutio ſit poſſibilis.*

Hinc a nobis omnes ac ſingulae eae Numini tribuendae ſunt virtutes, ſine quibus ſummi boni moraliſque conſilii in mundo exigendi poſſibilitas cogitari percipique nequit.

Quaeque dehinc virtus divina rationem ſimul exprimit ſufficientem ad fines et effecta, quae a ratione propter finem quem ſibi imperat abſolutum, neceſſario cogitanda ſunt.

Virtutes dehinc divinae, quae per partes cogitantur, res ſunt *fidei* moralis eſſentiales.

Virtutes *morales* ſunt eae, quae Deo competunt, ſummo bono originario in ſe ſpectato;

Digitized by Google

phyſicae, quae Deo competunt, ut naturam finibus moralibus convenientem reddat.

Utriusque generis virtutes Deo ſic tribuuntur, ut per analogiam quamdam cum virtutibus humanis finitae cogitentur. Quae quidem finitio ne in pinguem delabatur anthropomorphismum, in ſimilitudine relationum ſubſiſtat, neceſſe eſt. Hoc igitur modo omnia, quae de natura Dei finientur, capi volumus.

Deo, ſummo bono originario tribuenda ſumma ſanctitas, beatitudo, ſapientia.

a) *Deus eſt ſanctus.*

Sanctitas Dei in perfecta eius voluntatis cum lege morali ſummique boni fine cernitur convenientia.

A ſanctitate igitur divina omnia ſemovenda ſunt, quae in naturas cadunt limitibus circumſcriptas. In Deum igitur peccatum ne cadit quidem quippe qui per ſe ipſum ad mere bonum moveatur et propendeat. Deus legi morali haud ſubiectus et quaſi obediens cogitandus eſt, imo lex iſta eius propriam et unam poſſibilem agendi formam exprimit. In illum nec officium nec ius cadit, quippe qui nulla re abalienari et in contrarium trahi, nulloque modo obligari poſſit.

Quamquam igitur, remotis, quae in humanam cadunt naturam, anguſtiis, proprie quid ſit

in ſe ſanctitas finire nequeamus, exinde tamen facile evincitur, qui Deus ſanctus ille in nexu cum mundo a nobis cogitandus ſit. In genere notamus, Deum in ſe legi morali nobis latae intime convenire. Hinc a ſacris ſcriptoribus dicitur

קדש, ἅγιος. Quae quidem voces primum quidquid ad peculiares uſus conſecratur (ſacrum quidquid, v. c. aedes ſacra, veſtis ſacra) ſignificat, oppoſitum τῳ κοινω, טמא, profano. Sic Iudaei et poſt eos Chriſtiani εϑνος ἅγιον, gens Deo ſacra Exod. 19, 6. Eph. 1, 1 — 4. 1 Petr. 2, 9. Hinc קדש, αγιος eſt venerabilis Eſai. 6, 3. Jo. 17, 11. et ἁγιασϑητω το ὀνομα σου venerabile ſit nomen tuum Matth. 6, 9.

Nititur autem poſtulata erga Deum reverentia morali numinis puritate, ob quam etiam Deus diſerte dicitur ſanctus, quippe propter cuius originariam ſanctitatem Petrus 1. ep. 1, 15—16. nobis vitae ſanctimoniam commendat. Similiter Paulus Epheſ. 4, 24 novum nos induamus, hortatur, animum κατα ϑεον ſanctitate (ὁσιοτης) haud infucata conſpicuum. Haec enim eſt vis vocabuli חסיד, ὁσιος, pius Lev. 19, 2. טהור καϑαρος, purus vitii Pſ. 145, 17. 1 Io. 3, 4. תמים, ἁπλους, integer Num. 19, 2. Pſ. 18, 31. Hinc ſacri ſcriptores Deo, negant, quidquam mali, pravi, iniqui ineſſe Deut. 32, 4. Jac. 1, 17. fr. v. 13—14. ἀπειραςος κακων Pſ. 50, 16. 5, 5. „Tu non es Deus, cui prava placeant,

Digitized by Google

malus tuo haud excipitur hoſpitio." Deum, amicum virtutis, facta hominum ſalubria, docent, eum probare, deteſtari vero ſcelera quaevis Pſ. 5, 6—7. 1 Petr. 3, 10—12.

Virtus (αρετη) in Deum proprie non cadit, qui abſolute ſanctus eſt. Virtus enim in ſtudio ac labore cernitur, legi morali obtemperandi contra nitentibus ſenſuum cupiditatibus. In Deo autem nihil eſt quod contra nitatur, igitur in illum ſanctitas abſoluta, non virtus, quadrat. Virtutes, quas Petrus 1 ep. 2, 19 memorat, ad maieſtatem Dei pertinent deſcribendam ut Eſai. 42, 8. cp. 43, 21. תהלות.

Cum ſanctitas Dei in eius voluntatis cum lege morali conſiſtat convenientia, patet, eum ea tantum probare, ſeu ea tantum ipſi placere, *quae* legi iſti et *quia* legi iſti conveniant.

b. Deus eſt beatus.

Beatitas Dei in ſumma eius ab ullis libidinibus deſideriisque cernitur independentia, coniuncta cum ſumma exiſtentiae ſuae laetitia, αὐταρκεια. Eſt enim ſanctitas plena cum lege morali convenientia, conditionem ſibi flagitans congruentem. Iam cum ſanctitas virtus ſit infinita, infinita ei reſpondeat, neceſſe eſt, naturalis quaſi commoditas, hoc eſt, beatitas, in quam ut nec ullum cadit ſenſibile deſiderium, ſic beatus ſibi ſoli ſatis ſuaque perſona maximo

Digitized by Google

contentus eſt. Abſoluta haec vel ab omnibus deſideriis independentia vel ſumma de perſona exiſtentiaque ſua laetitia in unum cadit Deum. — Deus ut ſanctus ita unus eſt beatus.

Talem eum celebrant ſacri ſcr. 1 Tim. 1, 11. μακαριος θεος cap. 6, 15. ὁ μακαριος και μονος δυναςης, ὁ βασιλευς των βασιλευοντων etc. cfr. Pſ. 16, 11.

Haec quidem virtus ut ex idea ſummi boni originarii, (quod eſt Deus) efficitur ita etiam innuit, Deum et poſſe et velle ex ſuo quaſi fonte omnibus largiri commoditatem moralitati convenientem. Iac. 1, 17.

e. Deus eſt ſapiens.

Sapientia (חָכְמָה, σοφια) theoretice eſt ſummi boni cognitio, practice vero voluntatis cum ſummo bono convenientia.

Eſt igitur ſapientiae divinae, ut non ſciat ſolum, quid ſit optimum, ſed etiam ut idem in mundo, quam fieri poteſt, maxime efficere velit. Hinc eum SS. laudant μονον σοφον 1 Tim. 1, 17. tantamque eius aſſerunt ſapientiam, ut nemo mortalium eam vel rimari, vel perſcrutari vel adeo ſibi communicare poſſit. Rom. 11, 34. τις συμβουλος ἀυτου εγενετο? 1 Cor. 2, 10. βαθη του θεου, arcana Dei conſilia; ſic ut, in quibus deſipere nobis Deus videatur, in iis omnium hominum ſapientiam longiſſime vincat. Rom. 11,

Digitized by Google

33. cap. 16, 27. „μωρον του θεου σοφωτερον των ανθρωπων.

In primis autem immenſam et admirabilem Dei ſapientiam ex inſtitutis chriſtianis innotuiſſe contendit Paulus Epheſ. 3, 10. γνωριζεται ἡ πολυποικιλος σοφια του θεου. cfr. Col. 2, 3.

Ceterum in laudanda numinis ſapientia multi ſunt ſacri ſcriptores. v. Prov. 3, 19. cap. 8, 22 ſq. Pſ. 104, 24. Epheſ. 3, 10. Col. 3, 2.

Scholion.

Hae tres, quas memoravimus, virtutes ut ſunt morales, ita uni tribuuntur Deo. Enim vero in neminem cadit mortalium propria et completa vis ſanctitatis, beatitudinis et ſapientiae. Deus ſolus eſt ſanctus, beatus et ſapiens, ille enim unus plene conſentit cum lege morali, nullis affectus deſideriis ſecum omnino contentus eſt, atque univerſum finem bonorum et intime cognoſcit et unice vult. Haud ita quaevis natura intelligens creata, quippe quae ſanctitati operari, in illam eniti, minime vero illam aſſequi poſſit; quae deſideriis affecta nunquam deſinentibus aliquantisper quidem de ſe laetari, numquam vero ſecum prorſus contenta et ſibi ſufficiens eſſe poſſit, quae anguſtis intelligentiae limitibus circumſcripta, ſenſuum heteronomia ſemper vexata, univerſum bonorum finem neque

I 2

Digitized by Google

perſpicere neque unice appetere poſſit. Unaquaeque igitur natura creata virtuti ſtudere poteſt, ſancta eſſe nequit, animo gaudere et commodis frui poteſt, beata eſſe nequit; finem bonorum cognoſcere, cupere, haud vero, quam late pateat, perſpicere et unice cupere, ſapiens eſſe nequit.

Tranſitus ad ſequentia.

Summa et prima, quam capimus, virtus, numinis eſt ſanctitas, quae eiusdem cum lege morali perfecta eſt conſenſio. Deus quia ſanctus eſt, beatus non eſſe non poteſt, quia ſanctus et beatus eſt, ſapiens non eſſe non poteſt. Sanctitatem ſequitur beatitudo, utraeque ſummi boni poſtulant et perceptionem et concupiſcentiam (ſapientiam).

Ex his virtutibus originariis ceterae ſponte ſequuntur. Eſt igitur Deus ſanctus legislator et creator, benignus rerum rector et conſervator, iuſtus mentium cenſor et iudex. Quibus virtutibus tribus Deus ad religionem pertinere exiſtimandus eſt.

d. Deus ſanctus eſt legislator et creator.

Quodſi Deus in ſe legi convenit morali, eaque primum eius voluntatis conſtituit finem, idem Deus hanc legem cunctis dediſſe cogitan-

Digitized by Google

dus eſt mentibus. Quare Deus mundi creator moraliter ſpectatus, non prima ſolum cauſa eſt omnium rerum, ſed prima ad ideas morales cauſa producens. Mundum igitur ſic creavit, ut legem moralitatis primam omnium poſuerit, omnibus talem indiderit, eaque ſequenda ſuae voluntati unice ſatis fieri voluerit.

Exiſtentia itaque legis, quae mentibus ineſt, moralis, a Deo repetenda eſt creatore ſancto, ſancto legis ſanctae latore. Hinc vocem emittit: „Eſtote ſancti, ego enim ſum ſanctus.“ „Eſtote (moraliter) perfecti, ut pater coeleſtis veſter perfectus eſt.“

Magna igitur vis ineſt vocabulo ſancti: Deus non legislator ſolum, ſed ſanctus, hoc eſt, moralis legislator. Deus non ſolum creator, ſed ſanctus, hoc eſt, ad legem moralem creator. Divinae igitur creationi et legislationi finis praeponitur moralis; ſummum eſt bonum, quod et in creatione et in legislatione ſpectatur.

e. Deus benignus eſt rerum rector et conſervator.

Deus, qui ſummum eſt bonum originarium, propter ſanctitatem ſumma fruitur beatitudine. Quae cum ſanctitatem ſequatur, Deus, qui legem dedit moralem, eius etiam conſequentias largiri credendus eſt. Hinc univerſam rerum naturam ita condidiſſe, regere et conſervare

Digitized by Google

exiſtimandus eſt, ut aequabilis ſemper mores honeſtos ſequi poſſit et interior et exterior commoditas. Quae quidem ut ſequi poſſit, Deus in cauſa eſt beatus. Ex ipſo tamquam fonte originariae beatitudinis quaevis mentibus finitis dabilis commoditas repetenda eſt.

Quod igitur de nobis ſanctitatis ſtudioſis in animo laetari, quod moribus honeſtis aequa expendi poteſt fortuna, id ad Deum redit omnium donorum elargitorem, beatitudinis originariae ſedem et fontem.

Ut autem commoda moralitati reſpondentia naturis accidere poſſint finitis, Deum non ſolum oportet eſſe univerſae naturae creatorem, ſed etiam ad ideas morales rectorem et conſervatorem. Sic demum benignus erit Deus idem, qui ſanctus ſuſpicitur legislator.

ſ. Deus eſt iuſtus mentium cenſor et iudex.

Iuſtitia Dei in eo cernitur, quod naturarum liberarum laudem exacte aeſtimat, iisque aequiſſimam bene recteve factorum mercedem impertit.

Quare vel *remunerans* eſt vel puniens; ita tamen ut utraque finibus operetur bonorum, moralitati inquam et beatitati quam maxime promovendis. Sic quidem poenas Deus infligit, haud vero ut puniat, ſed ut puniendo emendet.

Digitized by Google

Deum iuſtum, צדיק, *δικαιον*, eiusque iuſtitiam, צדקה, *δικαιοσυνην* multis verbis celebrant ſacrae litterae Deut. 28, 63. Eſ. 28, 23. 1 Theſſ. 4, 3. 2 Theſſ. 1, 6 — 7. Deum ex his docemur diſerte velle, ut bonum expetamus et agamus, contrarium vero declinemus. *Τουτο γαρ εςι θελημα του θεου, ὁ ἁγιασμος ὑμων, ἀπεχεσθαι ὑμας ἀπο της πορνειας.* 1 Theſſ. 4, 3. Eumdem bonum, quod fecerimus, utique cenſere bonum; malum quod fecerimus, utique cenſere malum. *Εὐαρεςον ενωπιον του θεου, καλον παρα τῳ θεῳ*, id quod יָשָׁר לִפְנֵי יְהוָה. Quibus verbis et cenſoris et iudicis vis ineſt; magnumque recte facientibus nobis accidit ſolatium, cum ſciamus, Deum non poſſe non probare recte facta noſtra; contra vero male facta *βδελυγμα εν τοις ὀφθαλμοις του θεου* eſſe; ſemperque manere diſcrimen illud, quod Deus hominibus ſic voluit innoteſcere, ut haud noſſent tantum, ſed etiam uſu vitaque experirentur; annexa nempe bono commoda, incommoda malo. Matth. 25, 32. *και συναχθησεται ἐμπροσθεν ἀυτου παντα τα εθνη. Και ἀφοριει ἀυτους ἀπ' αλληλων, ὡσπερ ὁ ποιμην ἀφοριζει τα προβατα ἀπο των ἐριφων* etc. 2 Theſſ. 1, 6 — 7. *ἐιπερ δικαιον παρα θεῳ ἀνταποδουναι τοις θλιβουσιν ὑμας θλιψιν. Και ὑμιν τοις θλιβομενοις ἀνεσιν μεθ' ἡμων, ἐν τη ἀποκαλυψει του κυριου Ιησου ἀπ' ουρανου μετ' ἀγγελων δυναμεως ἀυτου.*

Digitized by Google

Sacrae etiam litterae cavent, ne noſtrae intelligentiae anguſtiis occaecati de iuſtitia Dei ſancta rerum moderatrice dubitemus vel cavillemur adeo; quam, etſi his quidem in terris non raro percipiamus, olim tamen ſplendidiori a nobis lumine conſpectum iri, teſtantur. 1 Cor. 4, 5. ουδεν γαρ ἐμαυτῳ συνοιδα· ἀλλ' ουχ ἐν τουτῳ δεδικαιωμαι. ὁ δε ἀνακρινων με, Κυριος ἐςι. 2 Cor. 5, 10. τους γαρ παντας ἡμας φανερωθηναι δει ἐμπροσθεν του βηματος του Χριςου, ἱνα κομισηται ἑκαςος τα δια του σωματος, προς ἁ ἐπραξεν, ειτε ἀγαθον, ειτε καλον. Nexum, incommodi cum malefacto, a Deo repetendum ὀργην του θεου vocant Rom. 2, 5 ſq. non quod anthropopatica quaſi ira in Deum cadat, ſed quod numinis ſancti *ſeveritatem* ita κατ' ἀνθρωπον proponere fas ſit. Dei enim iuſtitia tum in benignitate tum in ſeveritate cernitur Rom. 11, 22. Ιδε ουν χρηςοτητα και ἀποτομιαν θεου. Apotomiam humano more per οργην και θυμον, חרון ואף, quod de irae adfectu non capiendum eſt, proponunt. Pſ. 9, 5. Dan. 9, 14. 2 Petr. 2, 3 ſq.

* *
*

Ut autem normam habeamus, ad quam quaevis, quae nobis eveniunt, aeſtimemus, diſerte nos meminiſſe docent diſciplinae a Deo ad nos pertinentis; ſalutaris eius quidem et amoris divini plenae. Mortalibus enim alia rerum exter-

Digitized by Google

narum vel commoda vel incommoda ita accidunt, ut nonnullis male beneve factis annexa tantum ſint, longeque alias praeter recte perperamve facta cauſas habeant, quid quod ſaepenumero ne praegreſſa quidem ſint bene maleve facta et ſic eveniant ut hactenus bonis male, malis bene ſit; haec monentibus ſacris litteris ad vim diſciplinae magis quam iuſtitiae vel poenas vel praemia retribuentis referenda ſunt. Quam in ſententiam Paulus Ebr. 12, 10. pios admonet, ut vitae ſuae ſtadium ſtrenue et conſtanter percurrant, ſepoſitis quidem omnibus oneribus et impedimentis peccatorumque blanditiis oculos animumque in exemplum Ieſu defigant, neque deſpondeant mentem, ſed paternae admonitionis (Prov. 3, 11) memores teneant, dilectiſſimos quosque filios a patre pio et ſollicito caſtigari, nec ſemper benignius, imo ſeverius interdum, tractari. Parentes quidem, pergit, per paucos annos ſeveriore in nos diſciplina utebantur, prout iis viſum fuit, *κατα το δοκουν*, i. e. prout proficuum nobis eſſe, fallaci interdum iudicio, ſtatuebant; Deus autem ſeverius nos tractat, *επι το συμφερον*, id eſt, ita tamen ut ſalubre ſemper nobis ſit, finique inſerviat ſupremo et abſoluto, (*εις το μετα λαβειν της ἁγιοτητος αυτου*) ut eius ſanctitatis participes fiamus, h. e., ut moraliter perfecti exiſtamus, quemadmodum pater eſt coeleſtis. Facit igitur diſciplina Dei ad ſanctitatem noſtram. Unde non

eſt, quod indignemur, ſi παιδεια, quando exercetur, nihil gaudii, imo triſtitiae aliquid afferat; cum poſtea tamen fructum edat ſalutarem, δικαιοσυνην nempe, hoc eſt, virtutem, iis quidem, qui divina exercitati diſciplina (γεγυμνασμενοι) patientiam conſervarint.

Ex hac regula explicandi ſunt loci Luc. 13, 1 ſq. Matth. 9, 1 ſq. 2 Tim. 3, 12. παντες οι θελοντες ευσεβως ζην εν Χρ. Ιησ., διωχθησονται. Io. 9, 1. ſeq.

* * *

Ne qui autem in nocivas de iuſtitia divina opiniones incidant, eam S. S. docent eſſe et *univerſalem* et a *partium ſtudio alienam*, uno verbo, finibus ſapientiae quam optime accommodatam. — Promiſſa iunguntur virtuti Eph. 6, 3. τιμα τον πατερα συν και την μητερα — ινα ἑυ σοι γένηται — Matth. 10, 39 — 42. — ὁ δεχομενος δικαιον, εις ονομα δικαιου, μισθον δικαιου ληψεται — cfr. 1 Cor. 4, 5.

Nulla conditionis exterioris, nominis famaeque, ſed animi factorumque ratio habetur. Rom. 2, 10 ſq. δοξα δε και τιμη και ἑιρηνη παντι το εργαζομενῳ το αγαθον — ου γαρ εστι προσωποληψια παρα τῳ θεῳ. Οσοι γαρ ἀνομως ἡμαρτον, ἀνομως και ἀπολουνται. Και οσοι ἐν νομῳ ἡμαρτον, δια νομου κριθησονται, ὁυ γαρ οἱ ἀκροαται του νομου δικαιοι παρα τῳ θεῳ, ἀλλ᾽ οἱ ποιηται του νομου δι-

Digitized by Google

καιωθησονται, ὁταν γαρ εθνη τα μη νομον εχοντα, φυσει τα του νομου ποιῇ, οὑτοι νομον μη ἐχοντας ἑαυτοις εισι νομος. Οἱ τινες ἐν δεικνυνται το εργον του νομου γραπτον ἐν ταις καρδιαις ἀυτων, συμμαρτυρουσης ἀυτων της συνειδησεως και μεταξυ ἀλληλων των λογισμων κατηγορουντων ἠ και απολυγουμενων. cfr. 2 Cor. 9, 6. Col. 3, 25.

Scholion.

Cum iuſtitiae divinae munus tam in legibus ſanciendis quam in mercede factis impertienda cernatur, quaeſtio ſuborta eſt, legesne et mercedes mere naturales an vero etiam arbitrariae ſint et quomodo eſſe poſſint.

Res facile confici poteſt, ſi tenueris, ex ingenio religionis chriſtianae nihil ſtatui, quin ad legem ſanctitatis expenſum ſit, faciatque ad virtutem et pietatem. In praeceptis igitur chriſtianis nihil ineſt mere arbitrarium, hoc eſt, tale, cujus cum fine ſalutari nullus appareat nexus. Omnia praecepta ad fidem denique, amorem et ſpem firmandam redeunt, ut bene concludit apoſtolus Paulus.

Quodſi iam quaedam religionis divinae ſint vel leges vel inſtituta, quae in ſe ſpectata nullam habere videantur vim, eo ipſo, quod finibus iunguntur religionis, neceſſitudine quadam ſan-

Digitized by Google

ciuntur. Quibus ut inſerviunt finibus, ita mere arbitrariae amplius iam non ſunt.

Qui autem leges et inſtituta propterea voluerit contemnere, quod ſe iudice et cenſore abeſſe poſſe videantur, nihilominus tamen negare potuerit, eadem ad pietatem perbene facere poſſe, viderit ne commoditati potius ſuae quam officiis conſuluerit.

Pariter praemia poenaeve, quibus iuſtitia homines afficit divina, an mere ſint *interdum* arbitrariae, noſtrum vix eſt decidere. Quis enim omnem rerum naturam, viciſſitudinum cauſas fineſque, vel extenſionis vel protenſionis ratione habita, ita emetitur, ut pro certo finire queat, quid per neceſſitudinem cauſarum vel naturalium vel finalium admiſſum ſit quid minus. Idem quod praeter neceſſitudinem vel datum vel ſublatum eſſe videtur, coram numinis ſapientia valde neceſſarium, ratum, ſalubre exiſtimari et optari poteſt. Quare tutius credo nos facturos eſſe, ſi, noſtrarum intelligendi anguſtiarum bene memores, quaecumque ex rerum decurſae praeter noſtram nobis vim et dignitatem accidunt, divinae comittamus ſapientiae; ſi commoda fuerint, grato accipiamus animo; ſin incommoda, aequo pioque feramus animo; ſemper cogitantes, Numinis *χρισοτητα* non minus quam *ἀποτομιαν* ad ſapientem mundi regundi diſciplinam pertinere Rom 12, 19.

Neque iuſtitiae divinae ea ſcribi poteſt lex, ut e neceſſariis ſemper pendeat inſtitutis, liberum potius illi ſit, vel punire vel remunerari, prouti placet; cum ſciamus ipſi nihil placere niſi quod ad finem mundi faciat abſolutum, ad ſummam, inquam cum moralitate iunctam beatitudinem promovendam; in quo quidem divinae ſapientiae opere perficiendo Numinis cernitur maieſtas et gloria.

Sed repeto, quod dixi: cavendum nobis eſt, ne in re, de qua nihil per noſtras anguſtias pro certo finire poſſumus, incaute decidere audeamus. Neceſſitudo enim omnium rerum, extra noſtram prorſus ſita eſt cognoſcendi facultatem. Nobis quidem ſatis eſto, ſi ſapientiae divinae veſtigia interdum hic illic invenerimus.

g. *Deus eſt verax.*

Ex Numinis ſanctitate efficitur eiusdem veracitas; quae in veri cernitur amore.

Veritas vel eſt logica vel realis, illa notionum cum legibus cogitandi, haec cum rebus obiectis eſt conſenſio. Voluntas divina quatenus utrique ſtudet commonſtrandae, veri tenax, veri amans, verax dicitur; quam quidem Deo non poſſumus non adſcribere. Quare cum Deum non ſolum vere eſſe, ſed veri quoque amantem eſſe ſacrae litterae doceant, eum duplici hoc reſpectu celebrant אל צדיק, אל אמת, θεον ἀλη-

θινον (qui vere eſt: אֵל חַי opp. diis *ματαιοις*, *νεκροις*, *ἐιδωλοις*), *ἀληθη* (qui veri eſt amans) Nehem. 9, 8. Eſ. 45, 9. 1 Io. 1, 9. „*πιςος* (verax) *εςι και δικαιος*.“

Numinis veracitatem ſacri ſcriptores in uſum ſic transferunt, ut per illam fieri non poſſe doceant, ut a Deo in errorem aliquem inducamur, aut vana promiſſione lactemur, aut irritis comminationibus terreamur.

Pſ. 119, 138. „teſtimonia iuſtitiae veracitatisque tuae ſevere imperaſti.“

Io. 17, 17. *Ἁγιασυν αυτους εν τῃ αληθειᾳ συν, ὁ λογος ὁ σος αληθεια ἐςι.*

Tit. 1, 2. *Επ᾽ ἐλπιδι ζωης αιωνιου, ἡν ἐπηγγειλατο ὁ ἀψευςης θεος προ χρονων αιωνιων.* cfr. Hebr. 6, 18.

2 Cor. 1, 18—20. *πιςος ὁ θεος, οτι ὁ λογος ημων ὁ προς ὑμας ουκ εγενετο ναι και ου. Ὁ γαρ του θεου ὑιος Ιησους Χριςος ὁ εν ὑμιν δι᾽ ημων κηρυχθεις — ουκ ἐγενετο ναι και ου, ἀλλα ναι εν αυτῳ γεγονεν. Ὁσαι γαρ ἐπαγγελιαι θεου, εν αυτῳ το ναι, και εν αυτω το αμην.* Per Dei veracitatem oratio noſtra ſemper ſibi conſtans fuit, neque enim de Ieſu vobis expoſuimus inſtabili ac vacillante, ſed noſtrum omnium (Pauli, Silvani, Timothei) una et conſtans vox Chriſti fuit. Enimvero quot quantasque Deus per et propter Ieſum promiſſiones promulgavit, tot tantasque ratas certasque intelligimus. — Haec verba ad veritatem promiſſorum evangelii, et ad Dei in ge-

Digitized by Google

nere veracitatem demonſtrandam pertinere, ſponte intelligitur. Pariter de comminationibus: Ebr. 4, 12. *ζων ὁ λογος του Θεου και ἐνεργης, και τομωτερος ὑπερ πασαν μαχαιραν διςομυν και διικνουμενος ἀχρι μερισμου ψυχης τε και πνευματος, ἁρμων τε και μυελων και κριτικος ἐνθυμησεων και ἐννοιων καρδιας.* „Verbum Dei vim habet atque vitam (non eſt vana ſine viribus ira), enſeque ancipiti acutius penetrat per animum mentemque, omniumque membrorum compages ac medullam dilacerans, abdita animi percenſens cogitata" h. e. quaevis comminatio divina effectis reſpondet, mortemque, tamquam gladius cordi immiſſus, certiſſime affert.

Deo, quatenus promiſſis ſtat ſuis, *πιςις* attribuitur, diciturque *ἀξιοπιςατος*, eſtque pietatis et hanc Deo habere fidem Ebr. 11, 6 ſq. *χωρις πιςεως ἀδυνατον ἐυαρεςηναι. πιςευσαι γαρ δει τον προσερχομενον τῳ Θεῳ, ὁτι ἐςι και τοις εκζητουσιν αυτον μισθαποδοτης γινεται.*

Rom. 4, 3. *ἐπιςευσε δε Αβρααμ τῳ Θεῳ, και ἐλογισθη ἀυτῳ εις δικαιοσυνην.*

Ex his, quae diximus, ſequitur, fidem a nobis habendam eſſe cunctis Dei promiſſis, vel iis, quae ex revelatione pateſcunt, vel iis quae a lege morali ſpondentur, atque ad recti rationem in mundo efficiendam, ad ſummum bonum producendum, ad immortalitatem animi et nominis exiſtentiam pertinent.

Digitized by Google

h. Deus eſt gratioſus.

Sapientia Dei in ſumma eius et iuſtitia et benignitate cernitur, requiritque, ut aequiſſimam moralitatis et commoditatis rationem efficiat. Ab ea quidquid commodi hominibus accidit, id cum eorumdem laude exacte conſentiens eſt; nihil iuſto maius nihil minus conceditur.

Ab hac autem cum iuſtitia congruente benignitate differt numinis *gratia*; quae in gratuita erga homines ceterasque naturas cernitur beneficentia et caritate.

Deus enim commoda poteſt impertire naturis etiam non merentibus, vel talibus, quae ratione carentes nihil mereri poſſunt, vel iis, quae ratione quidem praeditae, ſenſuum vero et fortunae iniquitate ita impeditae fuere ut vis moralitatis nondum emergere et dignitatem aliquam acquirere potuerit.

Atque iſtam gratuitam erga naturas creatas quascumque beneficentiam Deus multis modis commonſtrat Pſ. 104. cfr. Cic. de nat. deor. L. 2 cp. 39. „Ac principio quidem terra univerſa cernatur ſolida globoſa, veſtita floribus, herbis, arboribus, frugibus, quorum omnium incredibilis multitudo inſatiabili varietate diſtinguitur. Adde haec fontium gelidas perennitates, liquores perlucidos amnium, riparum veſtitus viridiſſimos, ſpeluncarum concavas altitudines, ſaxo-

Digitized by Google

rum aſperitates (Pſ. 204, 10. 11. 18) — Quae vero et quam varia genera beſtiarum, vel cicurum vel ferarum? qui volucrum lapſus atque cantus? qui pecudum paſtus? — Quid iam de hominum genere dicam? qui qua cultores terrae conſtituti non patiuntur eam nec immanitate belluarum efferari nec ſtirpium aſperitate vaſtari. At vero quanta maris eſt pulchritudo? quot genera quamquam diſparia partim ſubmerſarum, partim fluitantium et innantium belluarum? Ipſum mare ſic terram appetens littoribus eludit ut una ex duabus naturis conflata videatur. Exinde mari finitimus aer die et nocte diſtinguitur isque tum fuſus et extenuatus ſublime fertur, tum autem concretus in nubes cogitur humoremque colligens terram auget imbribus, tum effluens huc et illuc ventos efficit, idemque et volatus avium ſuſtinet et ſpiritu ductus alit et ſuſtentat animantes. — Reſtat — caeli complexus, in quo cum admirabilitate maxima igneae formae curſus ordinatos definiunt. — E quibus ſol — diem noctemque conficit. — cp. 47. Paſtum animantibus large et copioſe natura eum, qui cuique aptus erat, comparavit. Dedit belluis et ſenſum et appetitum, ut altero conatum haberent ad naturales paſtus capeſſendos, altero ſecernerent peſtifera a ſalutaribus. cp. 53. Quanta benignitas naturae, quod tam multa ad veſcendum tam varia tam iucunda gignit: neque ea

Digitized by Google

uno tempore anni, ut ſemper et novitate delectemur et copia. Multa praetereunda ſunt et tamen multa dicuntur. Numerari enim non poſſunt fluminum opportunitates: montes veſtiti atque ſylveſtres: medicamentorum ſalutarium pleniſſimae terrae: artes denique innumerabiles ad victum et ad vitam neceſſariae. Iam diei noctisque viciſſitudo conſervat animantes tribuens aliud agendi tempus, aliud quieſcendi. Facilius intelligitur, hominibus eſſe proviſum, ſi erit tota hominis fabricatio perſpecta omnisque humanae naturae figura atque perfectio. — Terrenorum commodorum omnis eſt in homine dominatus. Pſ. 8. Nos campis nos montibus fruimur. Noſtri ſunt amnes, noſtri lacus. — Neque vero ſupra terram ſed etiam in intimis eius tenebris plurimarum rerum latet utilitas, quae ad uſum hominum orta ab hominibus ſolis invenitur.“ Haec Cicero, cum quo non minus eleganter concinunt ſacrarum litterarum teſtimonia.

Numinis igitur beneficentia gratuita clare perſpicitur tum ex natura vitaque animantibus non merentibus donata, conſervata, tum ex commodis a prima mundi origine impio aeque ac pio cuique impertitis atque conſervatis.

Quidni et in poſterum tum in hac tum in futura vita pariter fore credamus?

Neque tamen haec tanta numinis gratia cum eiusdem iuſtitia pugnans credenda eſt.

Digitized by Google

Stat et ſtabit recti ratio, ſic ut quamque vel dignitatem vel indignitatem ſua ſequatur mer- ces. Stabit diſcrimen iuſtos inter atque iniuſtos. Hinc nulla Deo adverſus moraliter delicta ad- ſcribenda eſt negligentia.

Sequitur, a nobis, quidquid a gratuita nu- minis in nos proficiſcitur benignitate, illud ad ſalutarem eius erga naturas creatas *diſciplinam* pertinere cenſendum eſſe; Deumque ſua nos ad reſipiſcentiam ducere velle gratia ac beneficen- tia. Atque haec quidem vis eſt eius in genus humanum clementiae, miſericordiae, patientiae ac lenitatis. Tit. 2, 11 ſq. Επεφανη ἡ χαρις του θεου — παιδευουσα ἡμας, ἱνα αρνησαμενοι την ασε- βειαν etc.

Hoc ſenſu praeclara Numinis erga homines benignitas, quae φιλανθρωπια, *clementia* dicitur, capienda eſt. Tit. 3, 4. ἡ χρηςοτης και ἡ φιλαν- θρωπια επεφανη του σωτηρος ἡμων θεου.

Quae quidem benefica Dei erga homines caritas, quando miſeris ſubvenit, *miſericordia*, quando peccatorum poenas differt, *patientia*, quando eas mitigat, *lenitas* dicitur; κατ' ἀνθρω- πον quidem hoc, quod per ſe patet, ita tamen a nobis cogitandum, ut cum ſumma numinis ſanctitate conveniat. Rom 2, 4. ἡ του πλουτου της χριςοτητος αυτου, και της ἀνοχης, και της μακρο- θυμιας καταφρονεις, ἀγνοων οτι το Χριςον (χαρις) του θεου εἰς μετανοιαν σε ἀγει? Eadem vis idem- que conſilium ineſt vocabulis חסד, חן, i. q. χρηςο-

Digitized by Google

της, ἀγαθοσυνη, patientia ſapienter moderata. ארך אפים, μακροθυμια, ἀνοχη, quibus verbis ſignificatur, quam facilis ſit Deus ad reconciliationem tardusque ad poenam Pſ. 103, 8 ſq., quam imbecillitatibus noſtris indulgeat ſuccurratque Pſ. 145, 14., quam, maxime, generis humani colendi, ſervandique curam agat Jo. 3, 16., ὁυτω γαρ ἠγαπησεν ο Θεος τον κοσμον, ὡςε τον ὑιον ἀυτου τον μονογενη εδωκεν, ἱνα πας ὁ πιςευων ἐις ἀυτον μη ἀποληται αλλα εχη ζωην ἀιωνιον. 1 Jo. 4, 16. ὁ Θεος ἀγαπη εςι. cfr. v. 9 et 10.

Atque hanc quidem Numinis caritatem (de qua Cicero de nat. deor. 1, 44. „ſi maxime talis eſt Deus, ut nulla gratia, nulla hominum caritate teneatur, valeat!) ſacri ſcriptores celebrant *univerſam* Pſ. 36, 67. 145, 9. *immenſam* Pſ. 103, 8 et 11.“ Quantum altitudine coelum diſtat a terra, tanta tua gratia, omnes tui reverentes, fovens; *perennem* לעולם Pſalt. 103, 16—17. „Dei gratia aeternum ſtat ipſum reverentibus;“ *gratuitam* 1 Cor. 4, 7. τις γαρ σε διακρινει; τιδε ἐχεις, ὁ ουκ ἐλαβες; ἐι δε και ἐλαβες, τι καυχασαι ὡς μη λαβων; cfr. Rom. 11, 35. *moralitati et beatitudini ſervientem* Iac. 1, 17. πασα δοσις ἀγαθη, και παν δωρημα τελειον ἀνωθεν εςι, καταβανων απο του πατρος των Φωτων; hinc denique *cum ſanctitate* et iuſtitia divina *convenientem* et ad pietatem in hominibus promovendam, h. e., πρακτικως, utilem v. 1 Io. 4, 19—21. Rom. 2, 3—5.

Scholion

De decretis divinis.

Ex ſapientia divina, coniuncta cum eximia erga omnes homines gratia et caritate finienda eſt quaeſtio de decretis divinis. Praedeſtinationem vocant, voce non minus lubrica quam barbara.

Sacris ſcriptoribus uſitata ſunt vocabula: Pſ. 25, 10. iudicia, mandata, viae, ὁδοι; Eſ. 55, 8. Rom. 11, 33. νους, cogitationes; Eph. 1, 11. Rom. 9, 11. προθεσις; Act. 2, 23. ὡρισμενη βουλη και προγνωσις; ἑυδοκια.

Eſt autem ὁριζειν, προοριζειν (unde nomen fluxit praedeſtinationis) decernere, apud animum conſtituere Act. 4, 28. ποιησαι, οσα ἡ χειρ σου και η βουλη σου πρoωρισε γενεσθαι. Rom. 8, 28—29. οἴδαμεν δε, οτι τοις ἀγαπωσι τον θεον παντα συνεργει εἰς ἀγαθον, τοις κατα προθεσιν κλητοις ουσιν. οτι, ους προεγγω, και προωρισε συμμορφους της εικονος του υἱου αυτου, εις το ειναι αυτον πρωτοτοκον ἐν πολλοις ἀδελφοις etc. h. e. Scimus autem, iis, quicumque Deum amant, cuncta conducere, iis, inquam, qui e decreto divino vocati (in ſocietatem vere chriſtianam adſciti) ſunt. Quotquot autem dilexit, (in primos ſocietatis ſanctae cives adſcivit) eos quoque voluit eſſe conformes exemplo filii ſui; hunc enim primogenitum, h. e., primum et principem inter filios, filium, inter fratres fratrem, ducem et

caput eſſe voluit. Iam vero, quos deſtinavit, ut primi ad exemplum filii ſui conformarentur, eos quoque vocavit (civitatis ſanctae iuribus et praerogativis dignos declaravit); quos porro vocavit, eos iuſtos (ſibi acceptos et probatos) iudicavit, ſummisque beneficiis ornavit. etc.

Ex his et aliis locis ſatis apparet, protheſin, prognoſin, ευδοκιαν haud de inconſulto valere decreto, ſed de conſilio ſapientia moderato finibusque bonorum (εις ἀγαθον) conſulente, ſic quidem ut et obedientia humana virtutisque ſtudium quam maxime ſpectetur.

Quod igitur de decreto Numinis vel *abſoluto* (nulla rerum humanarum ratione habita) vel *conditionato* (praefinita quadam voluntati divinae regundae regula) diſputatur, nullo nititur fundamento neque rationis purae neque ſacrarum L. Nos teneamus, a voluntate ſancta quaecumque ad finem dirigi mundi abſolutum, ad ſummum bonum; quomodo? hoc vel relatio vel rerum decurſus aperiat.

Nihil vero ineptius et turpius adeo dici poteſt, quam Deum aeterno et immutabili quaſi conſilio alios ad vitam (electionem) ad mortem (reprobationem) alios praedeſtinaſſe. Quod qui ſentire audetis, procul hinc eſtote profani! ! — „ὁ θεος ἀγαπη ἐςι“! 1 Io. 4, 16.

II.

De
ontologicis et phyſiologicis Dei virtutibus.

His, de quibus expoſuimus, virtutibus ethicis, Numini propterea, quod ſummum eſt bonum originarium, competentibus, facile eſt addere ea attributa, quae ex notione entis realiſſimi vel per ſe vel ad mundi ſenſibilis indolem definita ſequuntur.

Neque enim iam, praeeuntibus diſciplinae ethicae praeceptis, meris defungimur notionibus unitatis ſpeculativae cauſa efformatis, ſed habemus etiam, *cur* iſta vel ontologica vel phyſiologica Numinis finitio requiratur. In cauſa enim eſt finis bonorum in mundo a Numine efficiendus; quaeſtioque maxime huc redit ut videamus, *quale et quomodo* numen theoretice ſit cogitandum et finiendum, *ut finibus practica neceſſitate propoſitis et ſtabilitis ex aſſe ſuppetat.*

Hac praeeunte neceſſitate practica vim et ſenſum nanciſcitur theoretica illa rationis propenſio, qua ducitur, non ſolum ut ideam de ente efformet omnium poſſibilium conditiones in ſe complectente, ſed illi etiam obiectum ponat, obiectum hoc per ſubſtantiam, ſubſtantiam denique hanc per perſonam ad naturae humanae analogiam cogitatam proponat. Qui quidem, inquam rationis conatus, primo theoreti-

cae cognitionis ſtudio ſuſceptus, nunc demum ethicis ſuſtentata poſtulatis, practicam ſimul aſſequitur veritatem, apparetque, non ſolum quod, ſed etiam cur iſta notionis transſcendentalis poſitio, efformatio, ſinitio et neceſſaria et pro vero certoque habenda ſit.

Diſputatio igitur omnis hac via procedit: Ut Numen ſinem efficiat mundi abſolutum, ut ſanctitatis ſuae propoſitis reſpondeat, neceſſe eſt ſit ens

Omnium poſſibilium conditiones in ſe complectens; hoc eſt, *ens realiſſimum;* Ex quo conſequens eſt, illud ens eſſe omnium rerum prototypon, omnes res ceteras, tamquam ectypa per prototypon unice poſſibilia, longiſſime poſt ſe relinquens. Quae ex hac idea Numinis realiſſimi effluunt praedicamenta, haec ſunt.

a. Deus ens eſt perfectiſſimum.

Perfectio ontologice eſt realitas, iam Deus omnium realitatum eſt complexus, ergo perfectiſſimus.

In hac ſumma Numinis perfectione celebranda multi ſunt ſacri ſcriptores Pſ. 113, 4. Ier. 10, 6. Deum igitur docent nulla re egere, a nullo pendere, ſed potius omnium rerum eſſe auctorem et gubernatorem. Act. 17, 24 — 25. ὁ θεος ο ποιησας τον κοσμον και τα παντα ἐν ἀυτῳ,

Digitized by Google

ὁυτος ουρανου και γης Κυριος ὑπαρχων — ὀυδε ὑπο χειρων ἀνθρωπων θεραπευεται, προσδεομενος τινος, ἀυτος διδους πασι ζωην και πνοην και τα παντα. Rom. 11, 35. — *τις προεδωκεν ἀυτῳ και ανταποδοθησεται ἀυτῳ? οτι εξ ἀυτου και δι' ἀυτου και εις αυτον τα παντα.* Ex his aliisque locis, in quibus Deus omnibus rebus ſua largiri dicitur, ipſum omnium perfectionum fontem deſcribi patet. Qui enim omnia aliis concedere poteſt, eumdem ipſum omnibus gaudere neceſſe eſt realitatibus.

Ex hoc ſimul patet, Deum *ens* eſſe *originarium*, quippe per quod cetera omnia poſſibilia ſint, hinc *ens entium*, quippe quod omnium ceterorum ſit principium; *ens ſummum*, quippe quo nullum ſit ſuperius et maius.

b. Deus eſt unus.

Cum, quidquid praeter Deum eſt, illud per illum, ut ens originarium, unice ſit poſſibile, ſequitur illum tantummodo unum eſſe poſſe. Clarius hoc adhuc elucet ex fine bonorum per Deum poſſibili. Is enim finis unitatem omnium ponit rerum, ad unum ſcilicet ſcopum conſpirantem; qui quidem effici nequit, niſi per ens, quod unum ſibi hunc proponat ſcopum, ceteraque omnia ad illum dirigat et ordinet. Quod ſi plures eſſent dii, plura rerum ponerentur principia; unitatem naturae univerſae everten-

tia; quod unitati repugnat in ſine bonorum conſpicuae et poſtulatae.

Quamquam negari nequit inter veteres gentes profanas Dei unius notionem ſparſim innotuiſſe, multoque ſubinde acumine occupatam et defenſam eſſe, nemo tamen infitias ire poterit, iſtam ſententiam vel paucis tantum modo adamatam vel intra ſcholarum quarumdam parietes concluſam fuiſſe.

Neque tamen unitas numinis prorſus *latuit*, quod inter alia ex Sophoclis et Orphei *carminibus* ſatis perſpicuum eſt. Ille enim: *ἑις ταις αληθειαισιν, εις εςι θεος, ὁς ουρανον τ' ἐτευξε, και γαιαν μακραν* etc. Hic: *ἑις εςιν αυτογενης, ἑνος ἐκγονα παντα τετυκται* etc.

Quare ſi qui diſputent, de Deo uno notionem mentis humanae vires omnino ſuperare, aeque errant, ac ii, qui propterea quod unitas numinis per rationem cognoſcibilis ſit, revelationis divinae beneficia infringere conantur; quaſi nihil divinitus liceat pateſcere, niſi quod rationis humanae vim per ſe exſuperet. Nos et mentis vires cognoſcentes et revelationis beneficia venerantes modeſte dicimus: Notionem de uno et vero Deo rationis uſu inveniri poſſe et inventam eſſe, revelationis vero grande in eo cerni beneficium ac meritum, quod humanae imbecillitati a primis iam mundi initiis ſuccurrerit, Deum eſſe unum, ſancte praeceperit, eamque tam veram quam ſalutarem ſententiam di-

Digitized by Google

vulgandam, et per cuncta rerum diſcrimina variosque errorum caſus et viciſſitudines conſervandam curaverit.

Sacri autem ſcriptores mirandum eſt, quam ſolliciti ſint de unius et veri Dei cultu. In quo ut primum ita maxime inclareſcit Moſes. Deut. 6, 4.

Audi, Iſrael, Iehova, Deus noſter, unus eſt Iehova.

Ieſ. 45, 5 ſq. Ego Iehova, nec alius quisquam; praeter me Deus eſt nullus. Ego, (abs te haud agnitus) cingo te (Cyrum) ut ſciant ab oriente ad occidentem usque ſolem, praeter me neminem eſſe Deum. Ego Iehova, nec ullus alius. Lucem ego creavi tenebrasque; ſecunda largior, adverſaque paro. Ego Iehova haec omnia efficio. cfr. v. 21, et 22 Pſ. 86, 8 — 10.

Io. 17, 3. *άυτη δε έϛιν ή αιωνιος ζωη, ινα γινωσκωσι σε τον μονον άληθινον θεον, και όν άπεϛειλας Ιησουν Χριϛον.*

Eph. 4, 6. *εἷς θεος και πατηρ παντων, ο επι παντων και δια παντων και εν πασιν ὑμιν.* h. e. unus eſt Deus, qui in omnes imperium habet, omnibus ad benefaciendum nobis utitur, omnibusque adeſt, fortunae noſtrae auctor moderatorque.

1 Tim. 2, 5. *έις γαρ θεος, έις και μεσιτης θεου και άνθρωπων, άνθρωπος Χριϛος Ιησους.* cfr. 1 Cor. 8, 6. 1 Jo. 5, 20. Jac. 2, 19. Rom. 2, 30.

Neque ſacra ſcriptura hanc de Deo uno ſententiam vult frigere, ſed nos exhortari ad

verum eius unius numinis cultum ac pietatem, quippe qui unum et ſtabile habeamus principium, ad quod omnes actiones, ſpes et deſideria noſtra regamus. 1 Tim. 1, 1—5. Rom. 3, 29—30. Epſ. 4, 1—6.

Scholion.

Ut non nulli praefervido orthodoxias *ſtudio* decepti tritheismi ſpeciem quamdam invehere viſi ſunt, ita cavendum nobis eſt, ne incauta de Deo patre, filio et ſpiritu ſancto expoſitione ſemina polytheismi ſpargamus, contra clara quidem et indubia ſanctae diſciplinae teſtimonia. v. c. Jo. 17, 3.

Alia, contra quam ſacri nituntur ſcriptores, eſt opinio de duobus rerum principiis, mundum viciſſim gubernantibus, ſatis antiqua quidem et inter Perſarum philoſophos (v. Zendaveſta) ventilata, de principiis Oromasdo (Luce) altero et altero Ahrimanio (tenebris); niſi Th. Hyde ſuffragemur, qui (de religione Perſarum cp. 20, p. 161.) utrumque illud principium imperio alius ſummi numinis, Mithrae, ſubſuiſſe opinatur. Contra quam ſimilesque opiniones clare loquitur Ieſ. 45, 5—6. Eph. 4—6. et alibi.

Digitized by Google

c. *Deus eſt neceſſarius et independens.*

Numen ſummum, cum ſit principium omnium poſſibilium, ſuam a nulla alia re repetere poteſt poſſibilitatem, cogitandum igitur eſſe neceſſario et independenter. Eph. 4, 6. ὁ, ὢν επι παντων — δια παντων εν πασιν — quod de nemine dici poteſt, niſi de eo, qui a nullo pendeat vel quod ad exiſtentiam, vel quod ad voluntatem et potentiam. Act. 17, 24.

d. *Deus eſt aeternus ac immutabilis.*

Qui non habet, unde ſit pendeatque, in illum temporis limites ſucceſſiove haud cadit, aeternum igitur et eſſe et agere cogitandus eſt. Hinc Ieſaias cp. 44, 6. originem et finem a Deo excludens „eum omnium primum et poſtremum" dicit. cfr. Apoc. 1, 7. A et Ω, αρχη και τελος. Ieſ. 41, 4. „quis prius aevum intime movit? Ego Jehova omnium primus. Quis ſecuturum? Ego." Sic et Hiſcias, puto, Pſ. 102, 27. „anni tui per omne aevum continuantur: tu per omnes hominum generationes vivis: Tu prior (לפנים) terram condidiſti: per te caelum ſtructum. (tu ante mundi initia fuiſti) Illa identidem intereunt, tu perduras (תעמד incolumis perennas; ὑποςασιν habes. Eccl. 1, 14. Pſ. 19, 10.) Illa veteraſcunt et veſtimenti more deteruntur, amiculi more alia forma in-

Digitized by Google

duta transmutantur; ſed tu idem ſemper. ὁ αυτος; anni tui non finientur.“ Quae verba claram aeternitatis Dei expoſitionem continent, eumque docent: ante mundi initia h. e. principium omnium rerum, interitus, mortis finisque expertem eſſe.

Pſ. 90, 2. Moſe auctore: „ad te, Deus, ſemper confugimus, prius quam nati montes ſunt editaque tellus a ſeculo in ſeculum (מעולם עד עולם ἀπ' αιωνων εις τους αιωνας Luc. 1, 33. et alibi.)

Immutabilitatem vates canit Pſ. 102, 26—28. „tu ſemper idem,“ הוא. et Petrus 2 cp. 3, 8—9. „Nolim vos latere, inquit, Deo mille annos unum eſſe diem, unumque diem mille annos.“ Jacob. 1, 17. πασα δοσις — καταβανον απο του πατρος των φοτων; παρ' ὡ ουκ ενι παραλλαγη, ἡ τροπης ἀποσκιασμα, (apud quem nulla plane eſt converſio vel umbra mutationis.)

e. Deus eſt immenſus et omnibus praeſens.

Cum omnitudo in Deum cadat realitatis, et perfectiſſimus ſit, omnis porro limitationis expers, facile patet, eius naturam nullos in ſe admittere terminos vel temporis vel loci vel alius cuiuscumque circumſcriptionis. *Omnibus* itaque *praeſens* cogitandus. Pſ. 139, 7 — 10. Ier. 23, 23 — 24. Act. 17, 27. και τοι γε ου μακραν ἀπο ἑνος ἑκαϛου ημων ὑπαρχοντα. Εν ἀυτω γαρ

Digitized by Google

ζωμεν, και κινουμεδα, και ἐσμεν. Perperam hinc agunt, quicumque Dei ſummi virtutes quaſi emetiri et ad humanae intelligentiae anguſtias revocare conantur, id quod et ſacri ſcriptores diſerte diſſuadent. Eſ. 40, 12 ſq.

f. Deus eſt potentiſſimus.

Ad ſummam numinis perfectionem infinita pertinet potentia, quae et efficaciſſima ſemper eſt, et tanta ut, quidquid Deo placuerit, absque ullis impedimentis peragere poſſit. Cuius rei teſtimonio ſunt vel vaſta huius mundi machina conditio et conſervatio vel finis bonorum a Deo unice exſequendus. Ex hoc enim apparet, Deum non ſolum potentem, ſed potentiſſimum omnino eſſe debere.

Finis enim bonorum vel extenſive vel protenſive eſt infinitus quippe qui non ad omnes ſolum univerſi naturas pertineat, ſed ſola etiam infinitate exſequendus cogitetur. Vis igitur, per quam finis poſſibilis ſit infinitus, aeque infinita ſit, neceſſe eſt.

Tali modo ex mundi machina et per tot ſecula conſervatione, ex ſingularum rerum inſtructione et nexu Deum quidem colligimus praepotentem, at vero ex ſcopo per legem ſanctitatis propoſito, Deum potentiſſimum.

Deum igitur omnia poſſe quae velit, nihil autem velle, niſi quae fini conveniant bonorum, et ratio praecipit et ſacra ſcriptura teſta-

Digitized by Google

tur. Quare voluntas numinis ſancta ab eiusdem potentia numquam ſeiungenda eſt; totidemque loca S. S. de grandi loquentia numinis poteſtate eiusdem etiam maieſtatem et ſanctitatem celebrant. Hanc igitur vim uberiorem ſermones fere habent ſacri.

Dei autem voluntas potentiſſima inſignitur vocibus גבורה Pſ. 89, 1—4. כח *ἐνεργεια* Ier. 10, 12. עוז יהוה, maieſtas divina Pſ. 68, 35. (cfr. R. 1, 20. *ἡ αΐδιος ἀυτου δυναμις και θειοτης*). יד et זרוע Eſ. 59, 1. Deut. 32, 39. *Κυριος πατοκρατωρ* 2 Cor. 6, 18. Luc. 1, 37. *οτι ουκ αδυνατησει παρα τῳ θεω παν ρημα.* i. q. *θεοι μεν παντα δυνανται* Homer. Od. 4, 237.

Eph. 3, 20. 21. *τῳ δε δυναμενῳ ὑπερ παντα ποιησαι ὑπερ εκ περισσου ὡν αιτουμεδα ἡ νοουμεν, κατα την δυναμιν την ἐνεργουμενην εν ημιν, ἀυτω ἡ δοξα — εις πασας τας γενεας του αιωνος των αιωνων. αμην.* cfr. Pſ. 104, 31—34.

Sacri itaque ſcriptores praepotentem Dei voluntatem ſic deſcribunt, ut eum, quia velit, facere, quod exſequi velit, id nulla re irritum fieri, doceant, omnia potius, quae ſint, fiant, gerantur, omnesque qui agant aliquid molianturque, Deo ſubeſſe, ab eo pendere, eiusque potentiam nullam aequare aliam. 1 Tim. 6, 15. *ὁ μονος δυναϛης, ο βασιλευς των βασιλευωντων* etc.

g. *Deus eſt liberrimus.*

Cum Deus omnium rerum ſit cauſa efficiens, ſequitur ipſo cauſam haud eſſe ſuperiorem. Momenta dehinc, quibus Deus ad agendum pellitur ad eum redeunt ipſum; *abſoluta viget libertate*, h. e. omnium ſuarum effectionum ſufficientem et abſolutam in ſe ipſo continet rationem. Ut igitur Deus, quod ad exiſtentiam ſuam, eſt neceſſarius, a nullo dependens, ita quod ad actiones ſuas, eſt liberrimus, a nulla re niſi a ſe motus ipſo.

Iam vero, lege moralitatis monente, Deus finibus operatur bonorum, ergo ſolis his finibus motus et movendus cogitetur. Quae eius eſt *libertas moralis;* tum in ipſa mundi creatione, tum in ſummo bono efficiendo efficax et conſpicua.

Perperam faciunt, qui Deo libertatem tribuunt nullis legibus rectam, in qua ſtet quaſi pro ratione voluntas. Nos potius, cum Deum ſciamus ſummum eſſe bonum originarium, eumdem cogitamus ſancte ſemper agentem et decernentem; bene quidem memores, illius voluntatis arcana a nobis haud perſpici poſſe.

Hanc quoque vim eius libertati abſolutae tribuunt ſacri ſcriptores, hic ut libere et ſponte agentem et decernentem eum ſemper ſimul benevole agentem et decernentem cogitari debeamus, quare eius ἐυδοκιαν, ἐκλογην, την κατ' ἐκλογην

γροθεσιν ſemper cum gratia (χαριτι) coniunctam proponunt. Epheſ. 1, 4. Rom. 9, 11. Ieſ. 53, 10.

Libere decernere, itaque apud Deum eſt: ſponte benevolum eſſe, noſtris haud demum permotum ſuſpiriis factisve Rom. 11, 35 Eph. 2, 8—10. Tit. 3, 5. noſtris haud adſtrictum opinationibus Rom. 9, 6. ſed ſuis rectum propoſitis, a nobis parum vel minime intellectis. Quare, ut Deus nulla vi vel cogi vel impediri poteſt, (Dan. 4, 31—32) neminique aliquid a Deo debetur, Rom. 11, 25, ita ſingula quaeque bona beneficiaque, quae hominibus accidunt, liberrimae Numinis aeque ac benigniſſimae eius voluntati accepta referenda ſunt. Matth. 11, 26. Eph. 1, 5.

h. Deus numen eſt perſectiſſimae mentis.

Numini ſummo, rebus creatis comparato et ad analogiam cum mente humana cogitato plures competunt virtutes, quas uno *ſpiritualitatis* nomine cunctas comprehendere placuit.

Mundi enim compages, rerum mirabilis ordo, fines naturae, fini conſentientes abſoluto nos cauſam tantae inſtitutionis cogitare patiuntur per mentem iſta omnia iunxiſſe, ordinaſſe, finiviſſe. Non quod noſtram in numen illud liceat transferre intelligentiam ac rationem, ſed quod nexus perſimilis appareat. Res enim a

Deo effectae ſimilem referunt ſpeciem, atque res ab homine mente praedito effectae. Hinc cogitare licet, Numinis eumdem fere ad res creatas et digeſtas eſſe habitum, qui hominis eſt ad effecta ſua. Iam vero homo ſolam per mentem ſuam iungit, ordinat, finit; ergo etiam Deum per tale aliquod, mentis ſpeciem referens, iſta inſtituiſſe et etiamnum inſtituere cogitamus. Principium hoc nobis eſt cogitandi neceſſarium quidem et unicum; accedente vero moralitatis lege, finem bonorum imperante vires et veritatem ſumens, fidem inquam practice neceſſariam poſtulans.

Huic igitur practicae neceſſitati innitentes Deum credimus numen perfectiſſimae eſſe mentis, remotis quidem ab eius mente omnibus terminis et circumſcriptionibus noſtrae imbecillitati adhaerentibus et propriis.

Hoc modo mentem Deum cogitamus ſolutam et liberam, ſegregatam ab omni concretione mortali. Quae eſt Numinis *ſimplicitas.* Simplicitatis autem vis haec eſt, ut numen haud ſit aggregatum aliquod, cuius poſſibilitas a ſuis pendeat partibus; quae quidem indoles ſtat vel per entis realiſſimi notionem, unitate conſpicuam, vel per mentis poteſtatem, partes extra partes haud admittentem, vel per ſummi boni originarii vim, quodvis aliud bonum ut conſequens efficientem.

Digitized by Google

Quodſi Deum cogitamus mentem perfectiſſimam, ſequitur, illam omnia

1. *lucidiſſime perſpicere* intuendo quidem haud noſcendo, quamquam nos fugiat, quid apud Deum ſit intuendo intelligere.
2. Illam omnium eſſe maximam (quod ad ambitum) et profundiſſimam (quod ad claritatem.)
3. Illi nihil obſcurum eſſe, illam haud ſcrutari, attendere, abſtrahere, quippe quod temporis inferat ſucceſſionem.
4. Illam haud mutabilem eſſe, nihil opinari, nihil dubitare; eius notitias neque augeri neque minui.
5. Illam rerum nexum clariſſime percipere, ratione vigere perfectiſſima, minime vero per concluſiones colligere quamquam nos quidem haud percipiamus quid ſit ratio per concluſiones haud ratiocinans. Et tamen concluſio in Deum haud cadit.
6. Illam falli non poſſe, omnia ſcire omnibus temporibus evenientia, uno quaſi temporis puncto.
7. Illam prudentiſſimam eſſe, finibusque ſuis optime ſcire conſulere; et ſapientiſſimam optimas ad fines vias poſſe eligere.

Tali modo omnibus e mente divina ſegregatis humanae cognitionis anguſtiis pura reſtat de mente ſumma notio; quae, qualis in ſe ſit, nos quidem nullo verbo finire poſſumus. At

vero ſatis etiam nobis eſt, Numinis mentem *κατ᾽ αναλογιαν* adumbrare, talemque cogitare, qualem illam et noſtra capit imbecillitas et finis bonorum religionisque poſtulat ratio.

Ad praeſtantiſſimam Numinis mentem celebrandam una et conſentiens eſt vox ſacrarum litterarum.

Utuntur vocibus רוח et *πνευμα*. Atque רוח quidem *primam* ſignificat ventum, aëris commotiones, aëra ipſum, oris noſtri halitum. Pſ. 104, 30. „emittis halitum tuum, et creantur et terrae renovatur facies.“ Huc pertinet רוח פה halitus oris divini Eſ. 11, 4. i. q. 2 Theſſ. 2, 8. *πνευμα του ςοματος*. i. e. verbum quod ex ore quaſi emittitur divino. *Poſt* Ruach eſt de vita cuius tutiſſimum iudicium eſt in reſpiratione et halitu Pſ. 104, 29. „Tollis halitum et pereunt in pulveremque vertuntur. *Deinde* quidquid a materia firma et craſſa, vel ſubtiliſſima liberum eſt, et ruach opponitur בשר. *Denique* quidquid in ſenſus haud incurrit, praeſertim vitae noſtrae quaſi principium cuius vi corpus animatur, movetur, concitatur, vis vitalis, anima. Jam cum plures tales vires, animae, mentes, circum homines et per univerſum mundum volitantes et efficaces cogitarentur, quin etiam ad animum pertinere humanum vimque ſuam in illum exſerere crederentur; accidit, ut, ſi quando vel motu vehementiore ſenſus agitarentur, hominesque res vulgari hominum ingenio ac virtute

Digitized by Google

acriores perſicerent, vel univerſi huius partes moveri, flecti et gubernari viderentur, id a mentibus, ſeu ſpiritibus, evenire exiſtimaretur. Sic quoque Deus, qui et in ſenſus minime incurrit, et cuius vis ex operibus cernitur ſuis, dictus eſt Ruach. Ita eſt רוח יהוה, ſpiritus divinus, vis numinis movens, regens, gubernans; v. c. aquas Gen. 1, 2. Etenim in hoc loco ruach Iehova non ventum ſolum vehementem, ſed ſpiritum quoque Iehovae ſuper mare latum, ex priſcae aetatis ſententia, ſignificat. *Sic* et Deus mentis motus concitat facitque loquentem. 2 Sam. 23, 2. „Ruach Iehova per me locutus eſt, per meamque linguam eius facta eſt oratio. De vi numinis interiore, cognoſcente et decernente eſt Eſ. 40, 13. „quis edocet ſpiritum domini, quis illi conſul conſulit?"

Atque hunc Deum per ruach hakkadoſch in V. T. inſignitum, mentem ſolam eſſe, Chriſtus clare aſſerit. Io. 4, 24. *πνευμα ο θεος. και τους προσκυνουντας αυτον ἐν πνευματι και ἀληθεια δει προσκυνειν.* Quare *ἀορατον* illum dicit Paulus Rom. 1, 20. et propterea ab omni concretione mortali, et quae hanc ſequitur, ab diſſipatione ac interitu liberum. 1 Tim. 1, 17. *τω δε βασιλει των ἀιωνων ἀφθαρτῳ, αορατω, μονῳ σοφῳ θεῳ τημη και δοξα* etc. cp. 6, 16. *ὁ μονος εχων ἀθανασιαν, φως οικων απροσιτον, ον ειδεν οὐδεις ἀνθρωπων, ουδε ἰδειν δυναται.* Quare nefas eſt, eius formam adumbrare, eumque ſic cum cor-

poribus interituris et caducis vel ſola opinione comparare Rom. 1, 23. *και (οι φασκοντες ειναι σοφοι) ηλλαξαν την δοξαν του αφθαρτου θεου εν ὁμοιωματι εικονος φθαρτου ἀνθρωπου, και πετεινων και τετραποδων και ἑρπετων.* cfr. Exod. 20, 4.

Qualis cum Deus ſit, iuſta erga illum reverentia ac pietas ex animo procedat, inque aſſiduo et ſincero cernatur ſanctitatis et officiorum ſtudio. Io. 4, 24.

* * *

Hanc praeſtantiſſimam numinis mentem ſumma aſſerunt vigere intelligentia, humanam imbecillitatem adeo exſuperantem, ut nemo illam aſſequatur mortalium. Unde Deus cuncta dicitur *γινοσκειν* (ידע) *ἑιδειν* (ראה) *ἐρευναν* (חקר) et quaſi *ακουειν.*

Eſt autem Dei intelligentia ad ambitum infinita, ad modum ſimultanea, veriſſima, diſtinctiſſima, certiſſima; cui quidem nihil inſit vitii vel erroris, nihil confuſi, obſcuri, dubii, ambigui. Eleganter Iob. 11, 7—9. et Pſ. 139, 1 ſq.

Deus ſe ipſum optime cognoſcit 1 Cor. 2, 11. *ουτω και τα του θεου ουδεις οιδεν, ει μη το πνευμα του θεου.* Omnes quoque res alias *ὑμων δε και αἱ τριχες της κεφαλης πασαι ἠριθμημεναι εισι.* cfr. Ebr. 4, 12 — 13. — *παντα δε γυμνα και τετραχηλισμενα τοις ὀφθαλμοις αυτου.* 1 Io. 3, 20. — *γινωσκει παντα.* bona pravaque 1 Petr. 3, 12.

οἱ οφθαλμοι Κυριου επι δικαιους, και ὠτα αυτου ἐις δεησιν αυτων, προσωπον δε Κυριου ἐπι ποιουντας τα κακα. cf. Pſ. 33, 18.

Ne quis autem de conſiliis divinis, profundaque numinis intelligentia impie calumnietur, inque abdita rerum deſcendere audeat, admirabundus exclamat docetque Paulus Rom. 11, 33—34. *ὠ βαθος πλουτου και σοφιας και γνωσεως θεου. ὡς ἀνεξερευνητα τα κριματα ἀυτου και ἀνεξιχνιαςοι ἁι ὁδοι ἀυτου. τις γαρ ἐγνω νουν κυριου, ἡ τις συμβουλος ἀυτου εγενετο?*

De modo ſcientiae divinae aliquid finire velle, temerarium eſt et claris S. S. admonitionibus (Iob. 11, 7—9. Rom. 11, 33—34.) repugnat; quare ineptum eſſe iudicamus, ſi qui ſint, qui de ſcientia Numinis diſputent 1) neceſſaria (per quam ſe intuetur), 2) libera, (ad res alias omnes et ſingulas pertinente) 3) ſimplicis intelligentiae (de rebus, quae evenire poſſunt.) 4) media, ſeu conditionata, id eſt, de futuro conditionato (de rebus, poſita quadam conditione, futuris) Sunt haec e mente humana petita, in Dei autem ſcientiam recte transferri non possint, niſi, quod eſt analogon rationum, idem et rerum eſſe ſtatueris. Quae eſt opinatio nullis nitens fundamentis. Atque ſi quid in S. S. occurrit, quod iſtas diviſiones ſuadere videatur, illo noſtris ſcito inſervitum eſſe imbecillitatibus. v. c. 1 Sam. 23, 5 ſq. Matth. 11, 21 ſq. Quid enim in Deum cada

vel reminiſcentia vel praeſcientia, qui cuncta uno quaſi intuitu complectitur nec loci nec temporis terminationibus circumſcriptus?

Scientiam Dei de ſe ipſo, de virtutibus ſuis, *naturalem* dicunt, parum apte. Res tamen ſalva, ſi ad noſtrum percipiendi modum reſtrinxeris. 1 Cor. 2, 11.

i. Deus ſumma viget maieſtate et gloria.

Perfectionum Numinis omnium quaſi ſumma in eius cernitur maieſtate et gloria. כָּבוֹד, δοξα, קְדֻשָּׁה, θευτης, ἀρετη, ἀρεται. Quare Deus ἁγιαζων ἑαυτον et homo ἁγιαζων τον θεον. Ieſ. 6, 3. Pſ. 145. Eſ. 40, 12 ſq. 1 Petr. 2, 9. ὑμεις δε, γενος εκλεκτον — οπως τας ἀρετας εξαγγειλητε του εκ σκοτους ὑμας καλεσαντος εις το θαυμαστον αυτου Φως. 2 Petr. 1, 3. ὡς παντα ημιν της θειας δυναμεως αὐτου τα προς ζωην και ἐυσεβειαν δεδωρημενης, δια της ἐπιγνωσεως του καλεσαντος ημας δια δοξης και αρετης.

Perfectionum divinarum complexus ad Dei naturam relatus dicitur *maieſtas*, kabod, kodſchah, θεοτης, — eaedem, quatenus ex operibus cernuntur divinis, eius efficiunt *gloriam*, δοξαν. Hanc celebrare, ad hanc omnes noſtras actiones dirigere, et, quanta ſit numinis venerabilitas, quam benevole nobis conſulat, quanta maieſtate, ſanctitate, beneficentia ac caritate polleat, cognoſcere et in dies percipere noſtrum

ſit. Phil. 2, 11. και πασα γλωσσα εξομολογησηται οτι κυριος Ιησους Χριστος, εις δοξαν θεου πατρος. Col. 3, 17. και παν ὁ, τι αν ποιητε, ἐν λογῳ, ἠ εν εργῳ, παντα εν ονομα τι Κυριου Ιησου, ἐυχαριστουντες τῳ θεῳ και πατρι δι' ἀυτου. Ut igitur Deus ſumma viget maieſtate, eiusque ubique et ſemper conſpicua eſt gloria, ita et nos in eo elaboremus, ut, quidquid agamus, in Dei cedat gloriam.

Iam quaeſtio non levis ſuboritur, *qui finis ſit maieſtatis divinae rebus creatis operantis?* Quid ſummum eſt, quod ab eo ſperare, in eo laudare, ad quod omnem conſiliorum factorumque noſtrorum rationem dirigere debemus? Quaeſtio ad ultimum et ſupremum Numinis in mundo creando finem redit.

Sunt, qui naturarum in mundo intelligentium beatitatem primo loco ſpectari dicant. Hanc quidem ab omnibus iſtis naturis quam maxime appeti, nemo negabit; eſt tamen quod impediat, quo minus in primo loco ponatur. Pro beatitate reponendum eſt ſummum bonum, illam ſic comprehendens, ut naturarum intelligentium optatis conditionem áliquam adiungat, hanc, inquam, ut beatitate dignas ſe faciant; quippe quae dignitas *modum* finiat, ad quem beatitatis, moderante quidem *ſapiente* rerum auctore et rectore, participes ſe fore ſperent.

Enimvero, cum ſapientia, theoretice ſpectata, ſummi boni cognitionem, practice vero, vo-

luntatis ad finem bonorum convenientiam ſignificet, ſequitur ſummae (quaſi ſubſtantiatae) ſapientiae non eum adſcribi poſſe ſcopum, qui *ſola*, nitatur benignitate. Haec enim, naturarum intelligentium beatitatem ſpectans, apud Deum tantum ſic efficax eſſe poteſt, ut naturarum iſtarum cum eiusdem Dei ſanctitate, cum ſummo, inquam, bono originario, adſit congruentia.

Rectius igitur finis creationis ſupremus in *gloria* Dei demonſtranda ponitur. Quod quidem Numinis conſilium longiſſime abeſt, ut humano more, per celebrandi concupiſcentiam interpretandum ſit, ut potius ad maieſtatem pertineat manifeſtandam, reverentiam ſui et obſequium iniicientem.

Deus enim nulla re magis honoratur et celebratur, quam ea, quae et glorioſiſſima in mundo reperitur, ſuorum, inquam, imperatorum veneratione, officiorumque, per legem ſuam iuſſorum, obſequio.

Quando quidem huc praeclariſſimum eius accedat inſtitutum, ut iſtam, quam imperavit, reverentiam ſui obedientiamque conveniente afficiat beatitate. Quod ſi hoc facit, ut Deum amemus, illud ſane nos pellit, ut eumdem adoremus veneremurque. Atque cum hoc ipſorum hominum conſentit iudicium. Beneficiis quidem paritur amor, at per iſta ſola numquam reverentia iniicitur; imo beneficia vel maxima ſic

ſunt laudi honorique, ut pro dignitate impertiantur.

Atque hoc et cum diſciplinā chriſtiana conſentit et lucem affundit praeſtantiſſimis Chriſti conſiliis, qui ſe gloriam Dei, patris ſui, celebraturum (ἐις δοξαν του πατρος, εις δοξαζειν τον πατερα) veniſſe teſtatur. Quod conſilium non in benignitate ſolum ſed prae primis in ſanctitate Dei adnuncianda et celebranda cernitur. Quare beneficia Dei ſic promittit ut μετανοια το ποιεῖν το θελημα του πατρος praecedat. Et tunc demum Ieſus ſe patrem ſuum δοξασαντα praedicat, ubi illius et reverentiam ac pietatem iniecerat, quam iniectam et radices quaſi agentem ſecutura promiſerat beneficia.

Ex hoc igitur apparet, quid ſibi velit, cum omnia ἐις δοξαν του θεου πατρος verti et vertenda dicantur; nihil nimirum aliud quam ut imperatis Dei ſanctis honos et obſequium praestetur.

Splendor igitur et maieſtas Numinis ſummi in fine cernitur bonorum completo, et ſanctitate et benignitate; propter illam venerabilis Deus, propter hanc amabilis.

Appendix expoſitionis de virtutibus divinis ſummam exhibens.

Per ſacram ſcripturam liberum nobis eſt, qua via ac ratione notionem de Deo expona-

Digitized by Google

mus et finiamus. Illa enim ſcholaſticae ſubtilitatis haud ſtudioſa promiſcue, prouti populi inſtitutionibus convenit, ex ontologia, phyſiologia, ethicologiave depromit et diſputat, ſemper quidem uſum practicum et vitae ſanctimoniam reſpiciens. Quare ineptum iudicamus, ſi quis ſtudii ſubtilioris artem in ſacro fonte iam exhibitam invenire voluerit.

Neque vero tamen aeque ineptum eſt, ſi quis, quae de conſilio promiſcue et populariter fere diſputata ſunt, ad artem revocare ſtuduerit. Etenim, quamquam ſacrarum litterarum effata ad populi ingenium et uſum accommodata ſint, valde tamen erraveris, ſi eadem vel acutiſſimis ſtudiis nullo modo ſatisfacere opinatus fueris. Et profecto mihi iſta omnia, ut ut ſint popularia, firmis tamen fundamentis nituntur et largam praebent meſſem pie inquirenti ingenio. Quod iis dico, qui omnem ab ſacris effatis artem et ſubtilitatis conatum, neſcio quo iure et conſilio, arcere ſat agunt. Quin imo ego non poſſum ſatis admirari divinae inſtitutionis ſimplicitatem, cum videam, quam egregie vel profundiſſimis reſpondeat quaeſtionibus.

* * *

Notionis de Deo finiendae duplex eſt via. Vel enim e morali initium facias notione, eique ea addas praedicamenta, quae ex ontologia et

phyſiologia petuntur; vel notionem primo loco ponas ontologicam, eamque finias per praedicamenta phyſiologica et ethica.

Illa ratio ſuadet, ut Deum cauſam ponas rerum omnium poſſibilitatem in ſe habentem; ens igitur realiſſimum, per notionem ſuam omnibus modis definitum. Hoc cum finibus comparatum phyſicis ponendum eſt intelligens, cum ethicis vero — bonum ſummum originarium. Tali modo Deus efficitur primum omnium poſſibilium cauſa ſufficiens, deinde naturae univerſae conditor et rector, poſtremo totius mundi, tam ſenſibilis quam moralis creator, moderator.

Haec ratio Deum ſiſtit ſummum bonum morale originarium, numen ſanctum, beatum, ſapiens. Iam, quatenus numen bonum eſt originarium, prototypon, bonum efficere vult ectypon; quod ut efficere poſſit, cogitari debet cauſa et principium omnium rerum, creator et conditor mundi, ſumma praeditum potentia, intelligentia etc.

Utra vero uſus fueris ratione, notio demum moralis eſt, quae enunciatis vel ontologicis vel phyſiologicis vim aſſertionis et fidem addit certiſſimam, neceſſariam, practicam. Legem enim ethicam ſi praeterieris, habes quidem quod ens cogites realiſſimum, quod finibus naturae mentem praeponas ordinantem, moderantem; minime vero, quod *credas.* Hanc autem fidem ex imperato et poſtulato cogi vides, ſimul

Digitized by Google

atque legem inſpexeris moralem; obſequium et reverentiam ſui flagitantem. Quam ut detrectare et irritam habere nullo modo potes, ita te credere cogit, eſſe Deum, ſanctae legis latorem, mundi creatorem, benignum naturae rectorem et conſervatorem, iuſtum mentium iudicem.

Haec ſi teneantur, liberum eſt, ad populum dicere de Deo eiusque maieſtate, vel ex notione ſummae perfectionis, vel ex moderamine rerum naturalium, vel ex dictamine ſanctitatis, iuſtitiae et benignitatis. Modo primo omnium loco ponatur Dei ſanctitas, eius iniiciatur reverentia, eius imitandi ſtudium; ut primum promoveatur generis humani moralitas, *huiusque* cauſa cetera omnia ſuſcipiantur.

E.

De
Deo Patre, Filio et Spiritu Sancto.

Cum multa in diſciplina revelata non ſatis explicata et intellecta ſunt, tum perdifficilis et obſcura eſt quaeſtio de Deo Patre, Filio et Spiritu ſancto. Quod quidem religionis caput ut eſt myſteriodes, inſtitutis chriſtianis fere proprium, neque priſca neque recentiore aetate perſpectum, imo multis modis perperam intellectum, ſiniſtre expoſitum, ita tutiſſmum iudicamus, ſi ipſiſſimis ſacri inſtrumenti verbis;

enunciatis, declarationibus adhaereamus, nihil mutemus, nihil addamus, nihil demamus, modeſte fatentes, ex eo, quod nos quidem plenam verborum vim haud aſſequamur, nihil aliud conſequens eſſe, quam hoc: nos a vero et certo capitis ſignificatu abeſſe; a nobis vero in neutram partem, neque de intelligibilitate neque de nonintelligibilitate ſtatui debere; rem potius omnem intra problematis conſiſtere terminos.

Qua re quid tutius a nobis fieri poteſt, quam ut, in theoretica capitis explicatione nec quidquam deſudantes, practicis innitamus conſiliis, videamusque, quomodo ad pietatem illud et morum ſanctitatem facere dictitetur.

I. De Patre..

1, Iam ſacris V. T. litteris ſolemne eſt, Deum populi Iſraelitarum vocare patrem Ier. 3, 19. „et me, care pater, invocabis." Deut. 32, 6. „Eſtne Iehova pater et dominus tuus?" Quorum conſentiunt. Io. 4, 21. *ότε ουτε ἐν τῳ ὀρει τουτῳ, ουτε ἐν Ιερͻσολυμεις προσκυνησετε τῳ πατρι* cp. 8, 41. *ὑμεις ποιειτε τα εργα του πατρος ὑμων. ἐιπον ουν αυτῳ. ἡμεις εκ πορνειας ου γεγεννημεδα. ἑνα πατερα ἐχομεν, τον δεον.*

2, Idem nomen poſtea ab apoſtolis, auctore quidem magiſtro ſuo, ad omnes translatum eſt chriſtianos, Deusque pater dictus eſt omnium, quotquot ex Iudaeis gentibusque aliis verae chriſti

Digitized by Google

diſciplinae nomen dedere. 1 Cor. 8, 4—6. — ουδεις θεος ἑτερος, ει μη ἑις. Και γαρ ειπερ εισι λεγομενοι θεοι ειτε εν ουρανω ειτε επι της γης (ωσπερ εισι θεοι πολλοι και κυριοι πολλοι) αλλα ημιν ἑις θεος ὁ πατηρ, εξ ω τα παντα, και ημεις εις αυτον. και ἑις κυριος Ιησους Χριςος, δι ὁν τα παντα, και ἡμεις δι ἀυτου. Epheſ. 4, 6. "εις θεος και πατηρ παντων, ὁ επι παντων και δια παντων και εν πασιν ὑμιν cfr. 1 Cor 1, 3. 2 Cor. 1, 2. Rom. 1, 7. Luc. 11, 2. 1 Petr. 1, 17.

3, Eumdem verum Deum Ieſus ſemper patrem appellavit ſuum. Io. 5, 18. δια τουτο εζητουν ἀυτον αποκτειναι, οτι — πατερα ἰδιον ελεγε τον θεον, ισον ἀυτον ποιων τῳ θεῳ. cp. 6, 37. παν ὁ διδωσι μοι ο πατηρ. cp. 18, 11. το ποτηριον ὁ δεδωκε μοι ὁ πατηρ, ου μη πιω αυτο? Quare etiam apoſtoli Deum ſaepiſſime patrem vocant Ieſu Chriſti domini noſtri. Eph. 1, 3. 2 Cor. 1, 3. 1 Petr. 1, 3. ἑυλογητος ὁ θεος και πατηρ τον κυριον ημων Ιησου Χριςου.

II. De Filio.

1. Ieſus autem, ut Deum ſemper patrem ſuum laudavit et adoravit, ita ſe eius filium eſſe claris docuit verbis, eumque unigenitum, Io. 3, 16—18. ὁυτω γαρ ἠγαπησεν ο θεος τον κοσμον, ὡςε τον υιον ἀυτου τον μονογενη ἐδωκεν, ινα πας ο πιςευων εις ἀυτον μη αποληται ἀλλ' ἐχη ζωην ἀιωνιον. ὁυ γαρ ἀπεςειλεν ο θεος τον ὑιον ἀυτου εις

τον κοσμον, ινα κρινη τον κοσμον, αλλ' ἱνα σωθη ὁ κοσμος δι' αὐτου. ὁ πιςευων εις αυτον, ου κρινεται, ὁ δε μη πιςευων, ηδη κεκριται, οτι μη πεπιςευκεν εις το ονομα του μονογενους ὑιου του θεου. cfr. cp. 5, 18—30. cp. 10, 24 — 38. Matth. 16, 16. cp. 26, 63. cp. 27, 43. Luc. 4, 41. cp. 9, 20. cp. 13, 35. Talem igitur ſe patris ſui filium unigenitum ab omnibus agnoſci voluit nobis, praedicari et honorari, minusquc agnoſcentibus *κρισιν* diſerte indicit.

2, Se autem cum patre ſuo coniunctiſſimum declarat, patremque ſuum ſibi filio omnia conceſſiſſe et nunquam defore; quin etiam tantam eſſe patrem inter atque filium unionem, tantamque filii prae ceteris naturis omnibus creatis eſſe praeſtantiam et excellentiam, ut iam in mundi initiis et ante mundum conditum fuerit, ut per eum adeo mundus conditus ſit, ut per eum cuncta gubernentur; ut ille eadem habeat, poſſit et agat, quae pater habet, poteſt et agit, et propterea pio proſequendus ſit cultu.

In excellentia Ieſu Meſſiae deſcribenda prae ceteris multus et gravis eſt ap. Ioannes Ev. cp. 1, 1 ſq. Vocis *λογου*, in qua exponenda multam operam poſuere interpretes, vis haec eſt, ut verbum, ſermonem, ſententiam, narrationem, mandatum, vaticinium, promiſſionem, quaeſtionem de re aliqua, doctrinam, inſtitutionem et quae cum his congruunt, ſignificet, *cum* facultatem dicendi docendique (Luc. 24, 19. *δυνατος*

εν λογῳ) et dicentem docentemque ipſum adeo denotet. Luc. 4, 36. τις ο λογος ὁυτος h. e. qualis eſt hic doctor. Valde tamen erraverit qui verbi λογου, quo Ioannes in Meſſia laudando utitur, vim ad ſupra dictas ſignificationes revocare, tamque anguſtis terminis circumſcribere voluerit. Peculiare et proprium aliquid hoc nomine involvitur quod, quid ſit vix ex ulla veteri diſciplina et loquendi conſuetudine (eſt enim vocis vis fere nova et inſtitutis chriſtianis propria) tutiſſime quidem ex ipſis apoſtoli declarationibus petitur. Hoc tamen nullo negotio efficitur, per iſtam vocem ſapientiam tam theoreticam quam practicam puram et perſona indutam proponi, eamque nullis neque temporis neque loci terminis circumſcriptam, imo omni ſenſibilitate et mundo ſenſibili priorem et cauſam rerum omnium cooperantem. Liceat igitur λογον reddere per rationem, non humanam et imbecillam, ſed per eam, quae eſt omnis datae rationis prototypon et ideale, nulli niſi numini ſupremo vindicandam. Haec ſaltim talis ac tantae rationis notio et altiſſimum eſt, quod mens capit humanae, et declarationibus, quae a viris ſanctis praebentur, apprime reſpondet.

Hunc igitur λογον, Ioannes dicit, *primum* in initiis mundi fuiſſe, fuiſſe apud Deum, et Deum ipſum λογον iſtum fuiſſe; *deinde* illum ante conditum fuiſſe mundum Io. 17, 5. και νυν δοξασον με συ πατερ παρα σε αυτῳ τῃ δοξῃ, ἡν

ἐιχον προ του τον κοσμον ἐιναι, παρα σοί. Col. 1, 17. και αυτος εςι προ παντων, και τα παντα ἐν αυτῳ συνεςηκε. *Porro* per eum conditum eſſe mundum Io. 1, 3. παντα δι αυτου ἐγενετο και χορις αυτου εγενετο ὀυδε ἑν ὁ γεγονεν. v. 10. ἐν τῳ κοσμῳ ην και ὁ κοσμος δἰ αυτου ἐγενετο. ubi ſimul, qui mundi pars potiſſimum ſpectetur, ex eo intelligi poteſt, quod additur: και ὁ κοσμος αυτον ουκ ἐγνω. Col. 1, 16. οτι ἐν αυτῳ ἐκτισθη τα παντα τα ἐν τοις ουρανοις και τα επι της γης, τα ὁρατα και αορατα, ει τε θρονοι, ει τε κυριοτητες, ει τε αρχαι, ει τε εξουσιαι. τα παντα δἰ αυτου και εις αυτον ἐκτιςαι. Ebr. 1, 2. ὁν εδηκε κληρονομον παντων, δἰ ὁυ και τους αιὼνας ἐποιησεν. Per eumdem *denique* filium, per quem pater omnia creaverit, cuncta quoque gubernari Ebr. 1, 3. ος ων ἀπαυγασμα της δοξης και χαρακτηρ της ὑποςεσεως ἀυτου, φερων τε τα παντα τῳ ρηματι της δυναμεως ἀυτον, δἰ ἑαυτον καθαρισμον ποιησαμενος των ἁμαρτιων ἡμων ἐκαθησεν εν δεξιᾳ της μεγαλωσυνης εν υψηλοις. cfr. Col. 1, 17. Eumdem *etiam* habere, quae pater habeat, eſſe κληρονομον των παντων, eademque poſſe praeſtare, quae pater praeſtet v. c. Io. 5, 21. ὡσπερ γαρ ὁ πατηρ εγειρει τους νεκρους και ζωοποιει, ὁυτω και ὁ ὑιος, ὁυς θελει, ζωοποιει. v. 27, και ἐξουσιαν ἐδωκεν αυτω και κρισιν ποιειν, ὁτι υιος ἀνθρωπου ἐςι, cp. 10, 28 — 29. καγω ζωην αιωνιον διδωμι ἀυτοις, και ου μη ἀπολωνται εις τον αιωνα, και ουκ ἁρπασει τις αυτα εκ της χειρος μου. Matth. 28,

18. *ἐδοθη μοι πασα ἐξουσια εν ουρανῳ και επι γης.* Ratio autem filium inter atque patrem ſic finitur, ut pater omnia praeſtet, quia potentior maiorque ſit omnibus, filius, quia ipſe et pater ſint *ἑν*, ipſeque et *μειζων παντων* et *κυριος παντων* tanta vi polleat, ut omnia ſibi poſſit ſubigere. Phil. 3, 21. *κατα την ἐνεργειαν την δυνασθαι ἀυτον και ὑποταξαι ἑαυτῳ τα παντα.* *Huc* pertinet, quod eſt omnium rerum vel occultiſſimorum conſiliorum gnarus et perſpicax, adeo ut hac de cauſa iuſtiſſimus mentium cenſor et iudex factorumque remunerator eſſe poſſit 1 Cor. 4, 5. *ὡςε μη προ καιρου τι κρινετε, ἑως αν ἐλθη ο κυριος. ὃς και φωτισει τα κρυπτα του σκοτους, και φανερωσει τας βουλας των καρδιων. και τοτε ὁ ἐπαινος γενησεται ἑκαςῳ ἀπο του θεου.* *Poſtremo* cum filius Dei talis ac tantus ſit, cum ſe habere poſſe et agere eadem, quae pater, defendat praeſtetque, nihil inepti abſonique occupare oſtendit, cum ſe patri aequiparet ſuo, cum eo *ἑν* eſſe aſſerat, quippe qui divinae maieſtatis referat imaginem 2 Cor. 4, 4. *ὡς ἐςιν ἐικων του θεου* Ebr. 1, 3. *ὃς ων ἀπαυγασμα της δοξης, και χαρακτηρ της ὑποςασεως ἀυτου.* Col. 1, 15. *ὃς εςιν ἐικον του θεου του ἀορατου, πρωτοτοκος πασης κτισεως.* Phil. 2, 6. *ὃς εν μορφη θεου ὑπαρχων, ουκ ἁρπαγμον ἡγησατο, το ειναι ισα θεῳ, ἀλλ᾽ ἑαυτον ἐκενωσε* etc. Quibus autem ex argumentis Ieſus, ſuo ſe iure Patri aequiparare, defendat, ex Io. 5, 10 ſq. cp. 10, 28 ſq. eſt

videre. Provocat autem maxime ad habitus ſui, vitae factorumque cum voluntate patris ſui conſenſionem.

Hunc igitur Ieſum, talem ac tantum pio proſequi cultu ius fas eſt, imo talem ſibi legato aeque ac patri leganti cultum pium tribui voluit. Io. 5, 23. *ινα παντες τιμωσι τον υιον καθως τιμωσι τον πατερα. ὁ μη τι μων τον ὑιον, ὁυ τιμᾷ τον πατερα τον πεμψαντα ἀυτον* cfr. Matth. 28, 19. *βαπτιζοντες εις το ονομα του πατρ.* etc. Phil. 2, 10. *ἱνα ἐν τω ονοματι Ιησου παν γονυ καμψη ἐπουρανιων και ἐπιγειων και καταχθονιων, και πασα γλοσσα ἐξομυλογησεται οτι κυριοσ Ιησους Χριςος, εις δοξαν θεου πατρος.*

Quodſi quaeras, quomodo Ieſus ſe coli voluerit, non ſatis eſſe docet, ſi quis eum ſalutaverit dominum eiusque verbis profeſſus ſit diſciplinam, ſed eum demum verum ſui eſſe cultorem, qui patris eius coeleſtis obſequatur voluntati. Hinc ſincera erga filium pietas in eo cernatur, ut eius doctrina ſuſcipiatur, vivendo exprimatur, fiducia in illo ponatur, hoc ſenſu: ut id facientes Patris ſimul doctrinam ſuſcipere, vita omni exprimere, in patre fiduciam ponere, ſalutem ab eo petere et exſpectare credamus; ut eſt in exemplo Stephani, *κυριε Ιησου*, dicentis, *δεξαι το πνευμα μου — κυριε, μη ςησης αυτοις την ἁμαρτιαν ταυτην*; et in multis apoſtolorum locis, qui chriſtianis a filio aeque ac patre *Χαριν* apprecantur.

3. Haec, quae in genere diximus, per partes monſtrari poſſunt et ſolent, ſic ut primum de nomine filii, tum de attributis, denique de cultu quaeratur, talibus his ac tantis, ut non niſi in naturae divinae ſocium cadere queant.

Atque primum ipſum filii Dei nomen auguſti aliquid habet, praeſertim cum formulae addantur *μονογενης*, Io. 1, 18. *ιδιος* Rom. 8, 22. *ἀγαπητος* Matth. 3, 17. *πρωτοτοκος* Col. 1, 15. Neque tamen diffitendum eſt, nomini ipſi non iam inhaerere naturae divinae notam, niſi alia acceſſerint attributa, nominis vim prorſus ſingularem Ieſu vindicantia. Eſt enim filius Dei ex more Hebraeorum *vel* dilectus patri Rom. 8, 32. in primis carus ei Matth. 3, 17. *vel* locum Dei inter homines tenens Io. 10, 34—37. *ὀν ὁ πατηρ ἡγιασε και ἀπεςαλεν εισ τον κυσμον*—*ποιουντα τα εργα του πατρος* — demonſtrantia: patrem cum filio, filium eſſe cum patre; *vel* promiſſus ille Pſ. 2. rex ac dominus, nomine filii Dei inſignitus et hoc nomine a Iudaeis nominatus et exſpectatus Meſſias. Io. 1, 50. cp. 11, 27. „*εγω πεπιςευςα*, inquit Martha, *οτι συ ει ὁ Χριςος ὁ ὑιος του θεου, ὁ ἐις τον κοσμον ἐρχομενος.*“ *vel* ſingulari prorſus ratione Deo patri aequiparatus et multis modis aequalis. v. c. Io. 1, 14. *και εδεασαμεδα την δοξαν αυτου* (*λογου*), *δοξαν ὡς μονογενους παρα πατρος,* — *πληρης χαριτος και ἀληθειας.* cp. 5, 17. ſq. *ζωοποιων* — *κρινων* — *vel* denique Deus propter attributa et opera prorſus divina. Io. 1, 1.

και θεος ἠν ὁ λογος Luc. 1, 16 — 17. και επιςρεψει πολλους — επι κυριον τον θεον αυτων. Quae quidem attributa et opera ſic ſibi Ieſus vindicat, ut ſibi a patre conceſſa eſſe proloquatur. Matth. 11, 27. παντα παρεδοθη μοι υπο του πατρος μου; et ſic ſibi vindicat perfectam Patris cognitionem ουδε τον πατερα τις ἐπιγινωσκει, ει μη ὁ ὑιος Io. 6, 46. ουχ οτι τον πατερα τις ἑωρακεν, ει μη ὁ ων παρα του θεου. Ουτος ἑωρακε τον πατερα. cfr. cp. 1, 18. animorum cognitionem Act. 1, 24. συ κυριε, καρδιογνωςα παντων, ἀναδειξον εκ τουτων των δυο ἑνα ον ἐξελεξω. Io. 21, 17. κυριε, συ παντα οιδας· συ γινωσκεις οτι φιλωσε. aeternitatem Io. 1, 1 — 2. Col. 1, 15 — 17. — και αυτος εςι προ παντων. Matth. 28, 20. και ιδου εγω μεθ' υμων ειμι πασας τας ημερας, εως της συντελειας του αιωνος. ſummam potentiam Matth. 28, 18 — 20. ἐδοθη μοι πασα ἐξουσια ἐν ουρανῳ και ἐπι γης. cfr. Phil. 3, 21. et opera omnino divina Matth. 9, 1—6. Io. 1, 3—10. Col. 1, 13—16. Ebr. 1, 2—3.

4. Haec ſi perpendantur, et hoc in primis reputetur, quod Ieſu filio Dei aeque ac patri cultus praeſtandus ſit divinus, nos dubitare haud patiuntur, quin credamus, quod S. S. docent, ipſi adſcribendam eſſe naturam divinam h. e. Chriſtum eſſe Dei inviſibilis imaginem, omnis creaturae primogenitum (Col. 1, 13—17) per eum omnia creata eſſe, ſive caeleſtia ſive terreſtria, ſive viſibilia ſive inviſibilia, quidquid in rerum natura magnum, inſigne po-

Digitized by Google

tens reperitur, omnia propter eum et per eum creata eſſe, illum omnibus priorem eſſe, per eum omnia ſtare, illum omnia vi ſua ſuſtinere (Ebr. 1, 1. 2. φερειν τ. π. εν ρημα τι δυναμεως.), illum caput eſſe totius civitatis ſanctae, quam communi ille imperio complectatur Col. 2, 9. εν ἀυτω κατοικει παν το πληρωμα της θεοτητος σωματικως. Quae demum maieſtas filii Ieſu Chriſti nos impellat, ut eius pietatis et ſanctitatis exemplum ſequamur.

5. Neque praetereundus eſt modus, quem Patrem inter atque filium ſacrae litterae diſerte finiunt, Patrem nimirum filio eſſe maiorem, filium, quae habeat, poſſit, agatque *a* Patre accepiſſe, *per* Patrem poſſe et agere; a filio ipſo dicendo agendoque ad patris referri gloriam, ipſumque filium velle, ut a nobismet ipſis eodem iudicando et imitando referantur.

Io. 5, 26 ſq. ωςπερ ο πατηρ εχει ζωην αιωνιων ἐν ἑαυτῳ, ουτως ἐδωκε και τῳ ὑιῳ ζωην εχειν ἐν εαυτῳ — και ἐξουσιαν εδωκεν αυτῳ και κρισιν ποιειν — ου δυναμαι εγῳ ποιειν ἀπ' ἐμαυτου ουδεν καθως ἀκουω, κρινω — ου ζητῶ το θελημα τοεμον, αλλα το θελημα του πεμψαντος με πατρος. Ebr. 1, 2. ον ἐθηκε κληρονομον παντων, δι' ὁυ και τους αιωνας εποιησεν. Pater eum regem ac dominum conſtituit, cui ſuffragatur Pſ. 2. Beni atha, ani hajom jelidticha, in praeſenti filium te declaro, ſiſto, et exhibeo meum, dominum nimirum gentium mea auctoritate conſtitutum. Qui locus

non eſt de generatione, ſed de exhibitione cfr. Act. 13, 32. ſq. Rom. 1, 4. i. q. *εθηκε ο θεος* Paulo interpretante v. 2 et 5. — Pater porro eſt, qui per filium creavit, *δι' ὀν κ. τ. αι ἐποιησεν.* Cuncta *a* Patre *per* filium.

Quidquid dehinc vel Pater filio conceſſit, vel filius Patris auctoritate effecit, vel tanto exemplo praeeunte a nobis agitur, id in *Dei* patris denique gloriam, finem unum et ſummum, vertatur Phil. 2, 10. — *εισ δοξαν θεου πατρος.* —

6. Diſputatur, *quomodo* filius per patrem ſit, qualis eſt; et ſunt qui interpretentur: *vel* filium a patre natum eſſe, vel a patre productum eſſe, vel eum a patre habere eſſentiam vel patrem cum filio communicaſſe eſſentiam. *Verba* nituntur fere Pſ. 2. jalad autem ibi non tam eſt generare, producere, quam conſtituere, declarare (*εθηκε* interpretatur ap. P.). *Vis* verborum in re ipſa nihil dilucidat; quare iis abſtinemus, ut praeter ſacram. S. uſurpatis, de re nihil neque defendentes neque negantes; haud propterea, quod vel hoc vel illud falſum iudicemus, ſed quod per noſtras intelligentiae anguſtias in re tam recondita nihil ſtatuere liceat, quod verbis e ſenſibus et experientia petitis, in rem ſupra experientiae fines ſitam translatis nihil percipiatur; quid enim apud Deum eſt generare? quid ab aeterno generatum eſſe? quod denique nusquam et nullo modo in rebus theoretice tam obſcuris ultra ſacram S. ſapere audeamus.

Digitized by Google

Quare nudis contenti S. S. enunciatis, nihil addentes, nihil dementes, tenemus, λογον fuiſſe in initiis et ante initia mundi, fuiſſe cum Deo, et Deum ipſum, per illum cuncta creata eſſe, etiamnum regi, gubernari, εις δοξαν quidem του θεου πατρος; λογον iſtum corpore indutum in terris hominem inter homines apparuiſſe, ſplendorem divinum, ſummae ſanctitatis imaginem retuliſſe etc., εις δοξαν quidem του θεου πατρος. — Theoreticis horum et ceterorum enunciatorum expoſitionibus, quod ſciam, omnes fruſtra ſuam impendere operam, quamquam non is ſum, qui omnino nullam tanti myſterii intelligendi viam vel eſſe vel fuiſſe, defendere audeam. Apoſtolis certe innotuit; quibus quidem cum haud viſum ſit, nobis, eamdem quaſi clavem, quam ipſi habuere, committere, ſat graves eius rei fuiſſe cauſas opinor. Id quod me movet, ut de perſpicua myſterii illius explicatione theoretica prorſus deſperem.

At vero quid iuvat acrioribus immorari theoriis, cum finis practicus liquido ante oculos proponatur. Practice enim clarum eſt, quod theoretice ſemper obſcurum manebit. Agedum paucis delineemus, quam ſublimis ſenſus et vis practica inſit verbis theoretice ad vivum haud reſecandis. Deus tibi proponitur per λογον creans, gubernans. Iam hic logos *practice* ſpectatus prototypon exhibet rationis, ſummae ſapientiae ideale. Quodſi hic logos in initiis fuiſſe

dicitur, quid aliud hoc ſibi vult, quam prototypon illud ſanctitatis, ſapientiae, beatitatis prius et ſuperius eſſe omnibus rebus creatis; ex ideis eiusdem omnia creata eſſe, regi et gubernari; finem igitur bonorum ab aeterno et aeternum ſpectatum eſſe et ſpectari, hanc conſpici in mundo creando, in legibus ferendis, in rebus regendis. Quodſi porro idem λογος in Ieſu apparuiſſe dicitur filio Dei, Chriſto, ſervatore, quid aliud ſibi vult, quam et hunc Ieſum *nihil aliud* in animo et conſiliis habuiſſe, quam ut *idem* finis bonorum per eum proponatur, propagetur? ut leges per eum promulgentur ſanctitatis, ut conſilia aperiantur ſapientiae, ut inſtituta gratiae aeque ac iuſtitiae ſtabiliantur, ut moralitas hominum, eorumdem ſalus, ut reverentia numinis et amor fundetur, ut, uno verbo, omnia *εις δοξαν του θεου πατρος* convertantur. Hoc conſilium et ſublimioribus illis clare ineſt enunciatis et multis aliis Ieſu et apoſtolorum dictis uberrime ſignificatur. Qua propter practicis immoremus conſiliis, theoreticas profunditates pio animo ſimpliciter tenentes, usque dum altior concedatur cognitio.

Et profecto longiſſime a vero aberraverit, qui ut in ceteris omnibus, ita etiam in his diſciplinae ſanctae enunciatis meram theoriam ſpectari et frigidae quaſi contemplationi conſuli cenſuerit. Praxis eſt, de qua agitur, voluntas eſt et vitae ratio, cui ideae rectrices admoventur. Fides eſt, et

Digitized by Google

amor et ſpes, (*πιςις, αγαπη, ἐλπις* Paulo monente) quibus principium ſubſtruitur. Enim vero quid ad amorem efficacius, quid ad fidem firmius, quid ad ſpem uberius eſt, quam ſi memineris in logon iſtum omnia convenire, quaecunque creata ſunt, conſervantur, reſtituuntur, gubernantur? Ergo *λογος* in cauſa et conſiliis fuit Deo patri et creanti et conſervanti et regenti. Quid autem pius quisque a Deo exſpectare et ſperare poterit eo, qui *θεος λογος*, hoc eſt, qui prototypo rationis, ſanctitatis, ſapientiae, beatitatis, facem quaſi praeferente, monente, ſuadente creaverit, gubernaverit! Univerſum igitur mundum ad hanc ideam et ex hac idea productum et perſtantem conſiderare cogeris; ſpeciem quippe referentem rationis infinitae, ſplendorem ſapientiae in initiis et finibus elucentem. Quid de Ieſu ſentire, quae ipſi conſilia adſcribere cogeris, qui ſe *λογον* iſtum inter homines verſantem conſtituerit, propoſuerit, exhibuerit? Nonne eadem ab ipſo exſpectare cogeris, quae in ſolum *θεον λογον* conveniunt; ipſum igitur exiſtimare finibus bonorum conſulentem, operantem et uno verbo talem, qui imaginem referat Dei et ſit *ἀπαυγασμα της δοξης και χαρακτηρ της ὑποςασεως του θεου*?

Graviſſima profecto notioni illi practice quidem ſpectatae ineſt vis et ſententia, quam qui capit, non habet, quod inpenetrabilem caeli lucem affectet. *ὁς εχει τα ωτα εις ακουειν, ακ.* —

III. De Spiritu ſancto.

1. Nomen ſpiritus ſancti ſeu divini, (רוח קדש, רוח אלהים, *πνευμα ἁγιον*) frequens eſt in libris utriusque inſtrumenti, et ſignificat *vel* actuoſum rerum creatarum principium, vel vim omnino divinam vel cauſam quamque acriorem a qua motus et agitatio inſperata ac vehementior repetenda eſt. Sic ſpiritus hic in cauſa fuiſſe dicitur, ut orbes crearentur aetherii Pſ. 37, 6. ut homines exiſterent Iob. 33, 4. ut fluctus marium iactarentur 1 Moſ. 1, 2. ut mortales de ſceleribus monerentur fugiendis 1 Moſ. 6, 3. ut obſcura Ioſepho ſomnia revelarentur 1 Moſ. 41, 38. ut Bazaleel divino afflatus ſpiritu, ſapientia item, intelligentia et artis peritia inſtitutus bene caederet, ſculperet etc. 2 Moſ. 31, 3. ut Saulus caneret 1 Sam. 10, 6. cp. 19, 20. ut animos ſumerent et agitarentur prophetae oracula edentes; Ieſ. 61, 1. ut Ieſus a matre conciperetur ſua, quem deinde Ieſum idem fovet ſpiritus, quocum ſeſe unit, qui Ieſu hinc diſcedente apoſtolos replet, de veritate religionis uberius docet et perſuadet, iis miracula patrantibus adeſt, futura aperit omnibusque piis vera et fauſta quaevis impertit. 1 Cor. 12, 4—11.

2. Hic ſpiritus ut ad Deum pertinere dicitur, ita a Patris et Filii notione diſerte diſcernitur. Io. 14, 16. *και εγω ἐρωτησω τον πατερα, και αλλον παρακλητον δωσει ὑμιν, ἱνα μενη μεθ'*

υμων εις τον αιωνα — το πνευμα της αληθειας — ουκ αφησω ὑμας ορφανους: ερχομαι προς υμας. Ex quo loco apparet, ſpiritum diſcerni a patre et filio. cfr. cp. 7, 39. *τουτο δε ειπε περι του πνευματος, ὀν ἐμελλον λαμβανειν οι πιϛευοντες εις αυτον. ουπω γαρ ην πνευμα ἁγιον, οτι ὁ Ιηϛους ουδεπω εδοξασθη.* Ex quo elucet, hunc ſpiritum poſt Ieſum illuſtratum ſanctis demum accidiſſe; cp. 20, 22. *λαβετε πνευμα*; ut ex cp. 14, 26. clarum eſt, hunc ſpiritum locum tenuiſſe Ieſu, eius vices ſuſcepiſſe, docuiſſe, in memoriam revocaſſe. cfr. Act. 20, 28. *προσεχετε ουν ἑαυτοις και παντι τῳ ποιμνιῳ, εν ᾧ, ὑμας το πνευμα το αγιον εθατο ἐπισκοπους, ποιμαινειν την ἐκκλησιαν του θεου.* Pari modo *το πνευμα ἁγιον* diverſum eſt a Patre et Filio Matth. 28, 19. 1 Cor. 2, 10. 2 Cor. 13, 13. Chriſtiani enim omnes initiari iubentur nomine et Patris et filii et ſp. ſancti.

Nec minus gravis et clarus eſt locus 1 Cor. 12, 3 — 11. „Notum vobis facio, neminem, qui ſpiritu divino afflatus loquitur, Ieſu dicere anathema, rurſus neminem Ieſum poſſe ſalutare dominum niſi qui ſpiritu eodem motus ſit et rectus. Et multa quidem variaque ſunt munera, et *ὁ αυτος κυριος*, et multa quidem variaque eduntur opera, *ὁ δε αυτος εϛι θεος.* Unicuique autem conceditur revelatio per ſpiritum prouti conveniens eſt; et multa quidem variaque ſunt revelationis ſeu inſtitutionis genera — *το δε*

ἀυτο πνευμα etc. Ubi claris verbis et mentio ſit et diſcrimen conſtituitur Deum inter, dominum atque ſpiritum. Et, ſi quid video, vel ipſa diſcriminis ratio triumque illorum ſecum nexus et neceſſitudo aliquo modo innuitur, ſic ut *ὁ αυτος Θεος* ſit *ὁ ενεργων τα παντα εν πασιν*, *ὁ δε ἀυτος κυριος* totius humani generis ſervandi, ſanctaeque condendae civitatis auctor et adminiſtrorum dominus, *το δε ἑν και το ἀυτο πνευμα* operis coepti perfector, animorum inſtitutor, morum rector, inſtitutionum largitor, interior mentium cenſor; ita quidem ut *ὁ αυτος Θεος* cuncta per filium et ſpiritum efficiat, cuncta demum *εις το αυτο*, in finem, dico, bonorum, inque Dei optimi et maximi vertantur gloriam. Neque tamen is ſum qui lineam quaſi intermediam et accuratam audeam ducere inter vices patris, filii atque ſpiritus, quippe quam finire nec ipſi ſacri ſcriptores conati ſint, imo ita de patre et filio loquuntur, ut eorum munera et operationes in unum coeant et inter ſe multis modis permiſceantur. Quod quomodo aliter eſſe poteſt, cum hi tres *ἑν* eſſe diſerte dicantur, quod ſive ad finis propoſiti unitatem ſive ad *την της ουσιας ἑνοτητα* retuleris, effectorum tamen ſemper ponit ſimilitudinem et conſenſum intellectus et ſermonis humani imbecillitate neutiquam vel dimetiendum vel in partes diſſecandum.

§. 3. Quodſi ſpiritus divini ſanctive variae diverſaeque operationes in utriusque inſtrumenti

Digitized by Google

libris commemoratae in unum aliquod principium revocantur, nomineque *του πνευματος ἁγιου* indigitantur, atque hunc ſpiritum docemur habere et facere, quae Deus verus habet et facit; quippe qui in animis praeſertim emendationem, rem a Deo procurandam et Deo in acceptis referendam (propter impedimenta quidem perpetua et graviſſima et omnibus hominibus communia et inſuperabilia) perficiat; qui eodem, quo pater et filius, dignitatis loco ponatur, vel ſic, ut cum patre ac filio pariter colendus dicatur, vel ſic ut idem, quod ſpiritus agit ſanctus, Deus item agere haud dubie dicatur atque is adverſus Deum peccet *καρδιογνωϛην*, qui adverſus ſpiritum ſanctum, intimos animi receſſus perſpicientem, peccat, dubium non eſt, huic ſpiritui divino naturam adſcribi debere divinam; teſtibus quidem ſacris ſcriptoribus de hac re unice audiendis.

Et ſumma quidem vel reconditarum et futurarum adeo rerum ipſi vindicatur ſcientia 1 Cor. 2, 9—13. *ἁ οφθαλμος ουκ ειδε, και ους ουκ ηκουσε, και επι καρδιαν ανθρωπον ουκ ανεβη, ἁ ητοιμασεν ὁ θεος τοις αγαπωσιν ἀυτον. ημιν δε ὁ θεος απεκαλυψε δια του πνευματος ἀυτου. το γαρ πν. παντα ερευνᾷ και τα βαθη του θεου — το πνευμα εκ του θεου* — cfr. 2 Petr. 1, 21. Rom. 11, 33 ſq. Io. 16, 13. *και τα ερχομενα αναγγελει ὑμιν.* Et talia largitur perficitque, quae uni Deo accepta referri debent 1 Cor. 12, 4—11. *διαιρεσις των*

χαρισματων εἰσι — παντα δε ταυτα ἐνεργει το ἑν και το αυτο πν. διαιρουν ιδια ἑκαςῳ — καθως βουλεται — προς το συμφερον — Et coli iubetur inſtar numinis divini Matth. 28, 19. βαπτιζοντες αυτους εις το ονομα του π. και του υ. και του αγ. πν. cfr. Act 19, 5—6. Et ſpiritum fallendi conatus delicto aequiparatur adverſus Deum Act. 5, 3 — 10 ειπε δε Πετρος: Ανανια, διατι επληροσεν ο Σατανας την καρδιαν σου, ψευσασθαι σε το πν. το αγ. — ουκ ἐψευσω ἀνθρωποις, αλλα τῳ θεῳ. Ubi Ananias eadem delinquens et ſpiritui ſancto et Deo ſimul mentitus eſſe dicitur. Eſt igitur ψευσασθαι το πν. αγ. idem quod ψευσασθαι τον θεον, rurſus iisdem verbis το πν. αγ. diſerte aequiparatur τῳ θεῳ. Facinus autem Ananiae pretii particulam ſubripientis turpiſſimum erat, vel quod egeſtatem mentiebatur ſuam, vel quod egenis eripiebat vel quod integritati apoſtolorum diffidere videbatur vel quod divinam diſciplinae ſanctae originem finemque ſpernebat, ſuis potius conſulens uſibus quam rei publicae, tunc praeſertim temporis et morum caſtitatem et liberales mitesque donationes requirenti — Et apoſtolus Paulus per ſpiritum obteſtatur ſanctum ſe vera dicere Rom. 9, 1. ἀληθειαν λεγω εν Χριςῳ; ου ψευδομαι, συμμαρτυρουσης μοι της συνεθησεως μου εν πνευματι ἁγιῳ. i. e. non mentior, teſte quidem conſcientia mea per ſp. ſ. Obteſtatio enim et ius iurandum quaſi Apoſtoli ſemper ad teſtem redit ſpiritum ſanc

tum, verba εν. πν. αγ. ſive de iuramento per ſp. ſ. ſimpliciter, ſive de animi per ſp. ſ. emendati conſcientia acceperis. Locus ſemper de ſpiritu ſancto eſt tali, *per quem obteſtari* licet. Iam praeter conſcientiam nihil eſt, quod imos animi receſſus penetret, niſi το πν. αγ. locum numinis omnia ſcientis tenens; ergo quod in iuramento iuſte fit, ab apoſtolo praeſtatur; iurat nimirum per conſcientiam ſuam et per ſpiritum ſ. conſcientiae ſuae teſtem, iudicem, vindicem.

Adde, *quod* πνευμα το αγιον παρα του πατρος ἐκπορευεσθαι dicitur Io. 15, 26. *quod* apoſtoli a Ieſu afflati πν. αγ. acceperint Io. 20, 21. ἐνεφυσησε και λεγει ἀυτοις: λαβετε πν. αγ. Eſt igitur ſpiritus patris et filii ſimul; πνευμα enim θεου dicitur (Rom. 8, 9.) idem qui πνευμα Χριςου. „υμεις δε ουκ εςε εν σαρκι αλλ' εν πνευματι, ἐιπερ πνευμα θεου οικει ἐν ὑμιν. ει δε τις πνευμα Χριςου ουκ εχει, αυτος ουκ εςιν ἀυτου;" *quod* et Deus το πν. et dominus το πν. eſſe dicuntur 2 Cor. 3, 17, ὁ δε κυριος το πνευμα εςτιν, ου δε το πν. κυριου, εκει ἐλευθερια.

4. Quod autem in primis memorabile eſt, et omnem curam ab intempeſtiva theoreticae intelligentiae cupiditate ad practica convertit ſtudia, hoc eſt, quod iſto nos agitandos, regendos eſſe ſpiritu in primo doctrinae totius loco ponitur et una conſtantique voce docetur. Morale igitur praeſertim eſt bonum, quod ſpectatur. Sic Act. 4, 31. επλησθησαν ἁπαντες πνευμα-

τος ἁγιου και ἐλαλουν τον λογον του θεου μετα παρρησιας. cfr. cp. 8, 15—17. cp. 10, 44—46. cp. 19, 6. Rom 8, 9—16 1 Cor. 12, 3—11. Ex quibus locis ſat lucide apparet, vim ſpiritus divini in eo potiſſimum cerni et poni, ut ſalutaris Chriſti doctrina doceatur, ut mores corrigantur ut flagitia fugiantur ut vitae voluntatisque ratio ad Chriſti exemplum conformetur Rom 8, 13—14. ὁσοι γαρ πνευματι θεου αγονται, ουτοι εισιν ὑιοι θεου — αὐτο το πνευμα συμμαρτυρεῖ τῳ πνευματι ἡμων, οτι εσμεν τεκνα θεου v. 16. In quibus verbis aliisque quis eſt quin videat, ſanctitatem eſſe, quae ſpectetur, duce quidem et exemplo Ieſu Chriſto ſanctiſſimi patris ſui imaginem referente. Longiſſime enim abeſt, ut et haec de ſpiritu ſancto doctrina frigeat et merae inſerviat contemplationi.

5. Ex iis, quae diximus, hoc clarum eſſe putamus, ſpiritum ſanctum tum diverſum ſignificari a Patre et filio, tum in divinae item naturae auguſtique ſplendoris venire ſocietatem, quamquam nobis haud apertum ſit, *quomodo* a Patre procedat et per filium concedatur. Quod cum noſtras intelligentiae anguſtias omnino transſcendat, tutius nihil temperantiusque a nobis fieri poteſt, quam ut finibus inhaereamus, quae proponuntur et ſpectantur, practicis, ſtudeamusque ut ſancti ſpiritus participes fiamus, animum vitamque quidem conformantes noſtram ad ſanctitatis praecepta et exempla.

Digitized by Google

* * *

Scholion. 1.

Viſum eſt doctoribus eccleſiae, Patrem, Filium et Spiritum ſanctum tres dicere perſonas, ſeu ſubiecta, ſuppoſita, προσωπα, ὑποςασεις, ὑφιςαμενα; et uno comprehendere verbo, quod paſſim in ſacris libris docetur. Tali modo ſingulis ſuam vindicarunt intelligentiam et actionem, ſic *ut* Filius eſſet is, per quem Pater opus exſequatur ſuum, qui mandata patris libenter et ſuſceperit et peregerit, et etiam num ſeſe iis accurate adſtringat omniaque in patris gloriam agat; *ut* ſpiritus eſſet is, per quem pater opus docendi a Chriſto coeptum (Io. 14, 16) continuaret, qui mandata etiamnum ſuſcipiat, peragat et conformem Chriſti conſiliis doctrinam continuet Io. 16, 13—15; (ideoque proprie et concreto vocabulo dicatur auxiliator apoſtolorum, talis et eo ſenſu, qualis et quo ſenſu Chriſtus fuerat; haud vero vocabulo abſtracto auxilium); qui (ut pater, regens univerſum, omnia per omnes efficit 1 Cor. 12, 6. et ut filius, dominus coetus ſui, multos in eo occupat miniſtros 1 Cor. 12, 5. ita hic ſpiritus) per omnes omnia efficiat ad doctrinae propagationem et fructum ſpectantia 1 Cor. 12, 4. 11.

Neque tamen iſta a viris piis nomina procuſa quaſi et ſic uſitata ſunt ut rem inexplica-

Digitized by Google

bilem explicare ſibi viderentur, ſed ut quasdam aliorum opiniones removerent, qui v. c. filium Dei eſſe rationem (λογον), ſpiritum eiusdem Dei eſſe vim; et verba patris, filii et ſpiritus ſancti exprimere qualitates, operationes, nomina unius et veri Dei putarunt, et quae ſunt alia explicationis conamina, facilius et citius *ventilata* quam ex S. S. demonſtrata.

Scholion. 2.

Impeditum tamen ſemper remanet hoc, quomodo et quo ſenſu hi tres ita habeant naturam divinam, ut unus tamen ſit et verus Deus. Quare in hac re ſimpliciter eloquimur cum S. S., Patrem, et ab eo miſſum filium et, per hanc deprecantem, conceſſum ſpiritum ita venerantes ut non niſi unum ſtatuamus, revereamur et imitemur Deum ſanctiſſimum, optimum, maximum.

Publici coetus noſtri libri rem ſic exprimunt, ut tres diſtincti unitate eſſentiae (ὁμοουσια, conſubſtantialitate) iungantur. Sic enim vocabulum trinitatis, τριαδος ἁγιας, capi volunt.

Repeto, quod dixi, adſtipulante quidem Auguſtino, ſermonis humani nullam eſſe vocem, qua uſitata rei obſcurae luminis aliquid affundi poſſit; et, miſſis nimiis definiendi ſtudiis, oculos convertamus ad beneficia, quae a Patre per filium et ſpiritum petere, exſpectare et in uſum transferre docemur. Tali modo res redit ad

Digitized by Google

pietatem et vitae integritatem, coliturque pater cum filio et ſpiritu ſancto, quando quidem agnoſcimus, a patre per filium ſuum nobis doctrinam praeberi ſalutarem, veniam peccatorum offerri liberalem, vitamque parari beatam; per ſpiritum autem adiumenta concedi ad finem bonorum in nobis producendum uberrima et cuique volenti praeſentia. Haec ſcire, his convenienter ſentire et agere boni eſt chriſtiani.

Scholion 3.

Doctrina de patre, filio et ſpiritu ſancto etſi Hebraeis non ita innotuit, ut poſtea Chriſtianis interprete Ieſu domino ſuo revelata eſt, multi tamen ſunt rerum divinarum periti, qui eius iam veſtigia in V. T. deprehendiſſe ſibi videntur. Et memorabile quidem eſt, quod unus et verus Deus nominibus pluritatem involventibus inſignitur v. c. אלהים, קדשים, ארני Iob. 25, 10. Pſ. 149, 2. Ieſ. 54, 5. Eccleſ. 12, 1. Huc accedunt loca in quibus Deus de ſe ipſo in numero plurali loquens inducitur 1 Moſ. 1, 26. נעשה ארם „Faciamus hominem" quod adminiſtros ſane ad hominem creandum praeſentes exhibet. cp. 3, 22. cp. 11, 7. Ieſ. 6, 8. cp. 41, 22—23. Et Deus a Deo, Iehova a Iehova diſcernitur Gen. 18, 13. cp. 19, 24. „et dominus ſulphura ignesque pluere fecit a domino de coelo ſuper Sodom et Gomorram." cfr. Iud. 6, 11—16. Pſ. 2, 7. Pſ. 45,

Digitized by Google

7—8. Pſ. 100, 1. Ieſ. 8, 10. cp. 61, 1. Ier. 23, 5—6. Hunc referuntur loca, quae trium in Deo mentionem faciant. Num 6, 24—26. Ieſ. 6, 3. Pſ. 33, 6. Ieſ. 48, 12 et 16.

Scholion. 4.

Trium in uno ſimul loco, Patris filii et ſpiritus ſancti mentionem fieri videmus inter alia, quae huc trahuntur loca, Matth. 28, 19. ubi eſt de baptiſmo nomine Patris, filii et ſpiritus ſancti; et 2 Cor. 13, 13. ἡ χαρις του κυριου Ιησου Χριςου και ἡ αγαπη του Θεου και ἡ κοινωνια του ἁγιου πνευματος μετα παντων υμων. Adde 1 Petr. 1, 2. Matth. 3, 16—17. 1 Cor. 12, 4—6.

* * *

Appendix brevem dogmatis de Trinitate hiſtoriam exhibens.

1. Primis rei chriſtianae temporibus hanc ſimplicem, quam dedimus, doctrinam et prouti ex ipſis apoſtolorum verbis conſtitit, fidae tenuere eccleſiae, *unum* colentes *Deum, patrem, Jeſum Chriſtum filium eius unigenitum, et ſpiritum ſanctum,* teſtibus quidem Juſtino Martyre (Apol. 1, 61. p. m. 82), Irenaeo (adv. haereſ. L. 1. cp. 10.) Origene, Tertulliano etc.

Digitized by Google

Poſtea vero, quam multi de hac re philoſophari et ſuis placitis accommodare coeperant, viros quoque antiquae fidei tenaces coegere ut finitius de hoc dogmate eloquerentur, haud quidem ut explicarent, ſed ut haereticorum viſis, quae obtrudebantur, repugnarent. Sic enim Gnoſticis, formulis Iohanneis abutentibus, nomen placuerat aeonum, e quorum genere *λογον*, *δημιουργον*, *ζωην*, *μονογενη*, *Χριϛον*, *παρακλητον* eſſe voluerunt, a patre per emanationem exortos. Neoplatonicis nomen *λογου* familiare fuit, quem ante mundum conditum fuiſſe, ſed a Deo genitum et procedentem; ſemper quidem in Deo, quod ad facultatem, fuiſſe; verum, Deo ſic volente, proceſſiſſe atque extra Deum eſſe coepiſſe, omnino diverſum ab auctore ſuo, Deo tamen ſummo haud mutato, ſicut lumen accenditur a lumine voxque editur ab homine, ſine mutatione luminis hominisque auctoris. v. Iuſt. M. diat. cum Tryphone cp. 61. p. m. 165. Tatian. orat. ad Graecos. 7. p. m. 19. ed. Oxon. Worth. Tertullian. adv. Praxean. cp. 2. ſq. qui primus, quod ſciamus, trinitatis unitatem, unam ſubſtantiam, perſonas tres profeſſus eſt, verbis quidem contra haereticos uſitatis.

Ab ſententia Tertulliani parum differunt hypotheſes de unitate *υποϛασεων* trium Origenis et Novatiani (cp. 18.) doctrinam quorumdam improbantium, „qui effrenatius et effuſius in Chriſto divinitatem confitentur.“ — Trinitatem ſeu

ternionem Graeci τριαδα (ἀρχικην τριαδα. Orig. in Matth. p. 401. quaſi triumviratum) dixere. Subſtantiam, ουσιαν, υποςασιν ſeu veram exiſtentiam oppoſuere confictae ſeu ideali. Perſonae nomen Tertullianus primus, ut videtur, adhibuit pro individuo, ente ſingulari, qualitatibus, relationibus ac conditionibus ſuis diſtincto; contra Praxean qui unum eumdemque eſſe patrem filiumque et ſpiritum ſanctum opinatus erat.

2. Rebus autem magis magisque in litem vocatis et diſcordias gignentibus, Arioque praeſertim, presbytero Alexandrino cum epiſcopo ſuo Alexandro multum rixante et pacem eccleſiae turbante, Conſtantinus, Romanorum imperator, fidem Chriſtianorum amplexus, concilium coegit *Nicaenum*, in eoque contra Arium et ſuos ſancitum eſt: „*tres eſſe in una indiviſaque ſubſtantia perſonas, patrem nongenitum*, (αγεννητον) *filium unigenitum, patri conſubſtantialem* ομοουσιον *et ſpiritum ſanctum;* quem poſt Macedonianas lites *a patre* (ſerior actas ſec. nono ineunte addidit: *filioque*) *procedere* patres docuere Conſtantinopolitani. — Litem diu ſubſtitiſſe inter ὁμοιουσιον (Patri ſimilem, ex ſententia Semiarianorum) et ὁμοουσιον (Patri conſubſtantialem, ex ſententia concilii Nicaeni an. 325. et Conſtantinopolitani an. 391.) notum eſt. Totam vero diſputationem de filii ad patrem relatione ignoratam patribus antiquiſſimis, ſeculo demum tertio et quarto inſtructam fuiſſe ac compoſitam,

Digitized by Google

multoque minus per tria ſecula priora de ſpiritus ſancti natura interna ac charactere publice finitum aliquid legi, hiſtoria docet.

Sequiore poſt Nicaenum et Conſtantinopolitanum concilium aevo pauci fuere, qui contra fidem catholicam palam ſentire et docere conarentur. Anathemate tamen prae ceteris natati ſunt Neſtorius epiſcop. Conſtantinop., et qui cum ipſo fere faciebant, Eutyches aliique. Monetheletae (unam tantum naturarum in Chriſto duarum voluntatem putantes) aliam eſſe voluntatem divinae aliam humanae naturae filii Dei, quamquam ambae ſemper idem velint, eccleſiaſtica lege docere coacti ſunt. Secuti ſunt ſcholaſtici doctrinam de Patre filio et ſpiritu ſancto variis modis amplificantes et confirmare conantes, inter quos prae ceteris eminet Anſelmus, Cantuarenſis epiſcopus, „incarnatiónis filii Dei neceſſitatem ex infinito, quem aſſeruit peccatorum reatu, qui tolli non potuiſſet niſi infinita ſatisfactione, quam Deus ſolus, homo factus, patiendo et moriendo, Deo praeſtare potuerit, probare conatus.

3. Repurgatorum ſacrorum tempore fides Nicaena repetita eſt, ſimulque quid perſona ſit, finitum, repudiatis Arianis et Samoſatenis veteribus et recentioribus, Serveti, aliorumque v. Aug. Conf. Art. I. et III. cfr. Apol. A. C. Art. I. et III. Art. Smalcald. P. I. n. 1. 2. 3. „Patrem, filium et ſpiritum ſ. tres diſtinctas perſonas uni-

us et eiusdem eſſentiae ac potentiae divinae et coaeternas, eſſe unum Deum, qui creaverit coelum et terram. — Patrem a nullo genitum, filium ab aeterno a patre genitum eſſe, ſpiritum ſanctum procedere a patre filioque. Non patrem, non ſpiritum ſanctum, ſed filium hominem factum eſſe.“ — Deinde Formulae Concordiae Art. VIII. doctrina de vera at reali communicatione et communione idiomatum et operationum, per ſe ac eſſentialiter quidem vel divinae vel humanae naturae propriarum, ſed ratione et diſpenſatione unionis perſonalis utrique naturae communium (contra Sacramentarios et Oſiandrum ac Stancarum) novis curis definita eſt.

Varia denique Melanchthonis, Clerici, Grotii, Reuſchii, Gruneri, Seileri, Silberſchlagii et aliorum doctorum piorumque virorum conamina, interiorem Patris, filii ac ſpiritus ſancti ad ſubſtantiam divinam rationem philoſophicis argumentationibus illuſtrandi et declarandi abunde demonſtrant, nos in hac doctrina proponenda et declaranda tutiſſimos ire, ſiquidem verbis et enunciatis ſacrorum ſcriptorum ipſiſſimis adhaereamus, omneque ſtudium ab inutili theoriae frigidae inquiſitione ad finem, qui ſpectatur, ethicum convertamus.

Melanchthon e. c. ſic habet in L. L. theol.: „intelligens ſeſe gignit cogitationem quandam, quae eſt ipſius imago. Sicut et cogitationes no-

Digitized by Google

ſtrae ſunt rerum imagines, ſed nos non transfundimus eſſentiam in imagines illas. Pater autem transfundit eſſentiam ſuam in illam imaginem. Haec cogitatio eſt imago et ἀπαυγασμα patris et vocatur verbum. Ideo filium Ioannes nominat λογον." Solinus et Clericus (in Liberis de S. Amore opp. theol. Irenop. 1679. 8.) „cum Deus de variis uno eodemque tempore propter infinitatem cogitare poſſit, in Deo poteſt concipi pater, ſive natura divina, certo quodam modo cogitans, filius et ſpiritus ſanctus ſeu eadem natura duobus aliis modis cogitationes efformans" Steph. Nye (the doctrine of the holy trinity Lond. 1701. 8) „Deus mens eſt, quae ab aeterno ſe ipſam intellexit et amavit. Intellectus eſt filius, amor ſpiritus ſanctus." Grotius:

„Aeterna tua mens hoc quod eſt intelligens
Sapientiam progenuit aequalem ſibi
Se menſa, quanta eſt, compari imagine
Ac hinc videntem colligans viſumque amor
Proceſſit, in ſe vim repercutiens ſuam,
Unumque tria ſunt: Nam quod es, ſcis, vis, idem eſt."

Alia ad doctrinam de p. f. et ſp. ſ. illuſtrandam protulere alii v. c. Reuſch, Gruner, Sailer. etc. Kekermannum Muſaeus (de uſu principiorum rationis in theologia) Poiretum Neumannus refutavit et Bergerum *(Das Syſtem der Ewigkeit zur Erkenntniſs Gottes Berol. 1777.)* nemo ſequetur.

Digitized by Google

Saeculo decimo ſexto ex Italia proceſſit familia Antitrinitariorum, unius Dei confeſſione (hinc Unitarii) filii et ſpiritus ſancti dignitatem elevare et proſternere conata. Primas turbas fecit Mich. Servetus Hiſpanus (editis libris VII de trinitatis erroribus. 1531, et: dialogo de trinitate 1532) ad Sabellianas hypotheſes accedens. „perſonarum differentia, inquit, in perſonarum apparitionibus eſt iudicanda, non in ipſa rerum unius naturae metaphyſica pluralitate.“

Praeterimus Ioh. Campanum, Valentinum Gentilem, Arianismum fere repetentes; Matthaeum Gribaldum (ICtum Patavinum) naturam divinam in tres ſpiritus aeternos numero graduque diſtinctos dividentem; Laelium et Fauſtum (Laelii ex fratre nepotem) Socinum, viros ſtirpe et eruditione nobiliſſimos, magna doctrinae, librorum et fautorum copia, Photini decreta, per Poloniam praeſertim, palam repetentes. „Deus, inquiunt, unus, Chriſtus ἀνθρωπος ψιλος, e Maria oriundus, propter inſignes virtutes ac conceptionis miracula Deus dictus, ac poſt mortem ad divinam gloriam evectus, ſpiritus ſanctus vis aliqua divina, non perſona.“ Diviſa horum familia in duas partes abiit, Adorantium (qui Chriſtum, etſi careat divina natura, adorandum tamen cenſent) et Nonadorantium (qui, permulti numero, ne hunc quidem Chriſto honorem concedere volunt) v. diſputatio de adoratione Chriſti, habita inter Fauſtum

Socinum et Chr. Francken. Racov. 1618. 8. Adſtipulati ſunt his in Germania praeſertim Soner, Damm et Bahrdt; in Anglia Emlyn et Prieſtley.

Pro placitis Arianis pugnant Guil. Whiſton, et Harwood et paulo ſubtiliori modo Clark v. *die Schriftlehre von der Dreyeinigkeit.* anglice 1712. germ. 1774. Cuius ſententia multos nacta eſt fautores, Whitby, Benſon, Clayton, Guil. Iones. etc.

A formula Antiochena (an. 343) non longe abeſt Paulus Maty, Belga.

J. Aug. Urlsperger, Auguſtanus, (*Kurzgefaſtes Syſtem ſeines Vortrags von Gottes Dreyeinigkeit.* Augſp. 1777. 8) „aliam eſſe trinitatem oeconomicam (*Offenbarungsdreyeinigkeit*) patrem, filium et ſpiritum ſanctum; aliam eſſe eſſentialem (*Weſensdreyeinigkeit*) tribus perſonis in Deo uno ſubſiſtentibus; quarum tamen et differentias et nomina ignoramus." In oeconomia laudat perſonam divinam, quae e Deo egreſſa (Io. 16, 28. Mich. 5, 1.) ut ſolent e parentibus liberi, in novum ſtatum et relationem, qualis eſt filii erga patrem, *tranſierit*, iam, qua filius, extra Deum ſubſiſtat, patre inferior atque ad φανερωσιν apta. Diverſum ab hac ſumit ſpiritum, vel perſonam ſeu intelligentiam, quae cum divinae eſſentiae conſortio, ἀρρητῳ nomine, fruatur, ἐκ πορευσει *prodierit*, atque extra divinitatem conſtituta, vitae conſervandae autor, divi-

Digitized by Google

nam vim manifeſtam faciat. — Non video quid lucis vir bonus vocibus: generationis, exitus a patre, progreſſus affuderit. Res omnis, quod experientiam ſexcenties docuiſſe patet, ex quaeſtione theoretica et ad divinam Numinis in ſe ſpectati naturam aſcendere conante lucis nihil nacta eſt, nanciſcitur, nanciſcetur et vero *etiam* nanciſci nequit; quare temperantius nos agere credo, ſi contemplatione minus frugifera abſtinentes, operam haud amplius perdentes ſtudiis innitamur ethicis et ſuaves divini inſtrumenti ad fidem, ſpem et amorem voces audiamus. Enimvero doctrinae de patre, filio et ſpiritu ſancto vis et conſilium profecto non hoc eſt, ut altiorum rerum frigidis et curioſis inhaereamus ſtudiis, verum potius ut beneficia ponderemus a Deo nobis oblata, eiusque patris ſancti et benefici voluntatem agnoſcamus, et caritatem, quippe quam praeſertim eo commonſtraverit, quod filium miſerit ſuum dilectiſſimum, ingenti laude de nobis meritum et etiamnum merentem, vitae ſanctiſſimae praecepta et exemplum praeeuntem. Cui ut in dies conformatiores exiſtamus, ſpiritum nobis conceſſit ſanctum boni cuiusque in nobis opitulatorem et perfectorem. De quo non tam noſtrum eſt quaerere quid ſit vel in ſe vel ad Deum, quam quomodo nos eiusdem participes fiamus. Quod quidem fit Deum pie venerando, filium libere audiendo et ſequendo et ſanctitatis divinae praecepta imbibendo, ſuſpiciendo, exſequendo.

Digitized by Google

CAPUT. II.

DE
REBUS A DEO CREATIS.

Sectio. I.

De

Creatione Univerſi.

1. De Deo hactenus ſic vidimus, ut eum et eſſe et qualis ſit a nobis cogitandus, quantum quidem ad rem facit religionis, abunde expoſuerimus. Iam id agimus, ut qualem condiderit mundum, quibus eumdem ornaverit operibus, quo conſilio conſtituerit atque etiamnum conſervet et gubernet, interprete quidem inſtrumento divino, proponamus.

2. Atque Deum quidem huius tum adſpectabilis tum intelligibilis univerſi auctorem eſſe ac perfectorem et ratio tum theoretica tum practica ſuadet poſtulatque, et divini interpretes multis modis exponunt. Rom. 1, 20. 2 Cor. 4, 6. Ebr. 11, 3. Gen. 1, 1. cp. 2, 1. Pſ. 8, 1. 19, 1. 33, 6. Ier. 32, 17. Apoc. 4, 11.

Digitized by Google

3. Deus an ex nihilo creaverit, nec ne, diſceptatum eſt. Sacrae litterae non decidunt, et ſimpliciter, Deum in initio coelum terramque creaſſe, affirmant. Neque etiam ſententia de *creatione ex nihilo* aliquid praeſidii petere poteſt ex 2 Macc. 7, 28. ubi eſt, „Deus fecit coelum et terram *εξ ουκ ὀντων*, quod verſio *Vulgata* reddit *ex nihilo;* cum potius reſpondeat dictis Ebr. 11, 3." fide cogitamus, perfectum fuiſſe mundum, ut quae ante non erant *adſpectabilia* et praeſentia, iam cerni poſſent" (*πιϛει νοουμεν κατηρτισθαι τους αιωνας ρηματι θεου, εις το μη εκ φαινομενων τα βλεπομενα γεγονεναι.*) Ceterum vix attinet monere, noſtrae imbecillitatis non eſſe, ut de modo et fonte, unde Deus creaverit, diſputemus, cum nos quidem omnia, quaecumque ſunt, plenam divinae efficientiae conſequentiam cogitare debeamus, nihil vero amplius de hac re intelligere poſſimus.

4. Ut autem res divinae maieſtati convenienter cogitentur, ſacri ſcriptores non minus eleganter quam vere docent, Deum *ρηματι*, verbo, i. e. volendo creaſſe. „dixit, fiat! et factum eſt."

5. Quod autem maxime in cenſum venit, hoc eſt, ut Deum non cauſam ſolum habeamus rerum primam, (non finito cauſalitatis modo: liberene Deus efficiat et intelligenter, an vero per neceſſitatem naturae et quaſi mechanice) ſed auctorem mundi (cauſalitate eius per rationem et libertatem mota.) Neque hunc ſolum

mundi architectum (formas rerum perficientem) ſed mundi creatorem talem, per quem et mundi elementa prima, τα οντως οντα, (ſubſtantias dicunt) exſtiterint. Apoc. 4, 11. συ, κυριε, ἐκτισας τα παντα, και δια το θελημα σου (ρηματι) εισι και ἐκτισθησαν. cfr. Pſ. 33, 6.

6. Quaeſtio, Deusne ab aeterno creaverit, vel creare ſaltim potuerit, nec ne, in vanum recidit, cum meminerimus, notionem creationis eſſe intelligibilem, ad cauſam pertinere intelligibilem referrique ad naturas οντως ουσας, quippe quae ſolae creari dici poſſint; (temporis igitur ac loci cogitationes ad noſtrae cognitionis redire anguſtias, Deumque ipſum et in ſe ſpectatum, neque in tempore neque in loco operantem, cogitari debere. το *Eſſe in tempore* ſenſibilis eſt cogitandi modus ad naturas, quatenus in mundo ſunt ſenſibili, pertinens; ad easdem vero naturas οντως ὀυσας ſpectatas, neutiquam referendus. Hinc harum naturarum creatio eſt rerum οντως ουσων, atque ad intelligibilem earum, haud vero ad ſenſibilem exiſtentiam. Quare et ipſum tempus et tota adeo ſenſibilitas ſecuta eſt creationem naturarum ὀντως ουσων, Deusque ubi creans cogitatur, ibi et auctor cogitandus totius mundi ſenſibilis, cui temporis et loci notiones propriae ſunt. Igitur, ſi Deum dixeris ſive ab aeterno ſive in tempore creaſſe, utrumque pariter ineptum eſt, cum exiſtentibus demum naturis οντως ὀυσαις mundus locum ha-

Digitized by Google

beat ſenſibilis et cum hoc temporis et ſpatii notio. Voces dehinc בראשית, εν ἀρχῃ, a principio noſtrae inſerviunt imbecillitati, de Deo in ſe vel creante et conſervante, nihil finiunt; et requirunt potius, ut a maieſtate numinis, omnium rerum creatoris, omnis temporis ac ſpatii terminos arceamus.

7. Dubium quoque eſt, quomodo verba „δι' ἀυτου (Ιησου Χριϛου, του λογου) τους ἀιωνας εποιησεν“ Ebr. 1, 2 et alibi: intelligenda ſint, ſi quidem res theoretice finiri debeat, quam practice facilem eſſe expeditu ſupra iam vidimus, docent enim, Deo creanti ſummam ſapientiam hypoſtaticam (τον λογον) a conſiliis finibusque fuiſſe.

8. Quodſi quaeras, quo in univerſum *conſilio* mundus a Deo ſit creatus, hoc vel ex ipſa του λογου (tamquam ſocii creantis et a principio omnia conſtituentis) notione percipi poteſt. Haec enim finem reſpicit bonorum, qui in ſumma, quae fieri poteſt, tum ſanctitatis tum beatitatis cernitur copia. Ergo Deo creanti in propoſitis nihil aliud fuit, quam ut gloriae ſuae exſtrueret theatrum; nihil autem magis ad Numinis facit gloriam, quam maxima, quae fieri poteſt, ſui reverentia et amor. Quare Deus hoc ſemper et cum maxime velle cenſendus eſt, ut in mundo naturarum intelligentium moralitas prae primis ſpectetur, producatur, promoveatur, cum aequabili quidem ſemper coniuncta

Digitized by Google

beatitudine. Perperam igitur et praeter ſacrae ſcripturae ſit indicia, ſi qui ſolam vel primam ſaltem naturarum creatarum *commoditatem* in cauſa fuiſſe opinantur, ut mundus crearetur; id quod philautian et habendi amorem in primo poſiturum eſſet loco; cum tamen, quod ad Deum, eius gloria primo ponatur loco et omnia εις δοξαν του θεου vertenda dicantur. Col. 3, 17. Phil. 2, 11. Gloriae autem divinae nihil magis et prius reſpondet, quam reverentia et profecto Dei eſt ſanctitas, quae eum et venerabilem facit et eius venerationem poſtulat Eſ. 6, 3. Qua propter prae primis ſuſpicienda eſt Numinis ſanctitas, maieſtas, δοξα, θειοτης, כבוד יהוה, קדשה. Pſ. 145. Eſ. 40, 12. Pſ. 19, 2—11. Pſ. 29, 1. 9. Finis igitur in mundo creando ſpectatus eſt Numinis gloria manifeſtanda et promovenda. Haec quidem eo magis promovetur, quo reverentius Deus colitur. Colitur autem pio adverſus ſanctitatis ſuae praecepta obſequio. Hinc ſancti eſſe iubemur, quem ad modum Deus eſt ſanctus. Finis igitur creationis ad nos pertinens flagitat, ut, officiorum ſanctorum ratione habita, Deum veneremur. Iam cum opinio non vana ſit, Deum naturam rerum univerſam ſic conſtituiſſe, ut officiorum rationem habitam et ſui reverentiam ingenue praeſtitam aequiſſima ſequatur (non interior ſolum animi tranquillitas ſed exterior) vitae commoditas; conſequens eſt finem bonorum a creatore

ſpectatum hunc eſſe, ut ubique et ſemper ſumma, quae fieri poteſt, naturarum intelligentium et ſub lege ſanctitatis viventium cum moralitatis copia producatur. Deus *quod* moralitatem imperat, hoc eum facit venerabilem et pertinet ad gloriam eiusdem, *quod* moralitati aequabilem iungit vitae commoditatem, hoc *amabilem* eum facit et pertinet ad gratiam eiusdem. Ergo in conſilio creationis fuit tum *gloria* tum *gratia* manifeſtanda et promovenda, quae quidem, quod ad naturas intelligentes, una imperat reverentiam ſeu officiorum rationem, alterá impertit commoditatem, ita tamen ut illa prior conditionem et modum huius definiat poſterioris. Eſt autem hic mundi creati finis talis ut ad *officia* nos ducat, theoreticis vero quaeſtionibus plerumque mere curioſis et noſtram intelligendi vim ſuperantibus haud ſatisfaciat. Et vero etiam, quid quaeſo iuvat, de conſiliis Dei quaerere iis, quae ad nos non pertingunt, cum ea, quae facili negotio innoteſcunt, ſive rationem audias ſive divinos interpretes ſequare, talia ac tanta ſint, ut vel neſtoreae vitae largiſſima officiorum praeſtandorum materia praebeatur.

9. Mundus creatus vel eſt *adſpectabilis*, vel *intelligibilis*. *Ille* in ſenſus incurrit, et totum complectitur coelum orbibus igneis ornatum, noſtramque, quam habitamus, tellurem cum omnibus, quotquot ſunt, naturis vel ſenſu vitaque carentibus, vel ſenſibus animaque praeditis.

Hic ſub oculos haud cadit et omnes complectitur naturas intellectu et ratione praeditas ethicisque praeſertim adſtrictas legibus.

Quod ſi ex mundi adſpectabilis compage, et conſtitutione, ſive generis cuiusvis partes ſive ſingularum rerum inſpexeris formas, formarum varietates, varietatum convenientiam et neceſſitudinem, Numinis perficientis elucet eximia ſapientia et benignitas; animum profecto ſubit admirari et revereri eiusdem Numinis maieſtatem et gloriam, quando et quod naturas ipſi viſum ſit producere ethicis legibus ſubiectas, quippe quarum ſcopus ſupremus ſit hic ut Deum ſanctum legis latorem ſuum et creatorem, benevolum rerum rectorem, iuſtum mentium cenſorem venerabundi propria virtutis laude dignitateque magis magisque ſuccreſcant, ſuaeque naturae laude moraliter evecta mundi univerſi evehant laudem atque ſic ad Numinis gloriam faciant ſummo opere et aeternum promovendam et celebrandam. Phil. 2, 10—11.

Sectio. II.

De Naturis mundi creati intelligentibus. Praeſertim de angelis.

1. Inter tantam rerum creatarum multitudinem et varietatem primo loco nominandae ſunt

eae, quae, abſit ut ſolius mundi adſpectabilis terminis teneantur, ut potius ſuo ingenio ac indole longe acriores et eminentiores cognoſcantur, naturae quippe *οντως ουσαι*, vi vigentes intelligendi, ratiocinandi et, quod maxime in cenſum venit, legibus adſtrictae ethicis. Ex his, qui nobis innotuere, ſunt *homines*, et, de quibus vel ratio ſuſpicatur vel divina aperit revelatio, animi coeleſtes, daemones ſeu *Angeli*.

De illis infra dicemus, iam de natura animorum coeleſtium, ſeu de Angelis exponemus.

2. Eſſe autem naturarum intelligentium alia quoque, quam nos quidem cognovimus, genera *vel* haud vana eſt rationis ſuſpicio, quippe quae mundum, quam late patet, univerſum omnibus prorſus mentibus orbum aegre cogitet et numini quidem ſapientiſſimo pie confidit, tot tamque varia mentium genera eſſe creata, quot quamque varia vel infinita producere poteſt maieſtas vel immenſus capit quaquaverſum mundus, longe maioribus et ſplendidioribus noſtra tellure ornatus diſtinctusque orbibus, *vel* divina inſtrumenta claris edocent verbis. Adeo ut et rationi vim intuleris et ſacris praeter neceſſitatem diffiſus ſis enunciatis, ſi animos ab hominum genere diverſos ex univerſo pellere conatus fueris. Io. 4, 18. Matth. 18, 20 etc. Luc. 2, 9—15, Act. 23, 8. Ebr. 1, 5—9. Ieſus enim nos *ισαγγελους* fore promittit, et apoſtoli Ieſum, animis coeleſtibus comparatum, longe praeſtantiſſimum

celebrant; Sadducaeosque, (ſectam ἐπικουρίζουσαν) angelorum veritatem negantes caſtigant.

Nec barbaris gentibus et philoſophis aliena fuit opinio de mentibus, geniis, daemonibus Deo inferioribus.

3. Cum autem in ſacris litteris animorum ſit mentio coeleſtium, iis inditur nomen מַלְאָךְ ἄγγελος; quod *cum* nuntium, interpretem, legatum quemque ſignificet, quo quis in mandatis utitur ad alios deferendis et exſequendis, ut eſt de diſcipulis Ioannis Luc. 7, 24. cfr. Ioſ. 6, 17. 25. de apoſtolis Ieſu et eccleſiae doctoribus 1 Tim. 3, 16. Apoc. 1, 20. cfr. Ieſ. 56, 21. et cauſam adeo intermediam, per quam Deus aliquid efficit Pſ. 78, 49. 104, 4. „ventis uteris angelis flammisque adminiſtris.“ *tum* autem eſt de genere quodam naturarum intelligentium ſingulari, hominibus longe nobiliori 2 Petr. 2, 11. quibus Deus utitur adminiſtris, ut in ſolemni legis moſaicae inauguratione Gal. 3, 19. Ebr. 2, 2. in extremo iudicio, ubi Chriſtus iis ſtipatus venturus dicitur 2 Theſſ. 1, 7. etc. Qui cum in tantis ſint honoribus et malachim Gen. 32, 2. et *elohim* Pſ. 8, 6. dicuntur. Eſt enim nomen malach non tam naturae quam muneris et honoris; quam eamdem vim habet vox elohim de coelitibus uſurpata.

4. Tales naturas a Deo *creatas* eſſe, ſacra diſerte docet ſcriptura, quamquam de tempore, quo creatae ſint, nihil ſiniatur. Hypotheſes au-

Digitized by Google

tem, quae in hanc rem effinguntur, merito reiicimus. Sunt enim qui *alii* angelos hoc orbe multo antiquiores faciant (ut Origines Comm. in Matth. p. m. 96. cui Chryſoſtomus, Hieronymus et Damaſcenus ſuffragentur) *alii* eos primo hexaëmeri die cum reliquis naturis ſimplicibus productos exiſtiment (ut Theodorus Mopſueſtenus, eiusque aſſecla Cosmas Indicopleaſtes, Auguſtinus, Lombardus, Calovius etc.) *alii* denique eosdem poſt homines demum creatos eſſe opinentur. — Non inepte ex 1 Moſ. 1, 1. colligimus, eos cum univerſo a principio factos eſſe, οντως οντας quidem, hoc eſt tales, in quos per ſe ſpectatos nec temporis nec ſpatii ratio cadat.

5. Pariter quaeri nequit de *numero* angelorum finiendo. Quem quidem ingentem et pro ratione univerſi immenſum et copioſiſſimum iure ſuo ſtatuit ſacra S. Dan. 7, 10. Iud. 14. Matth. 26, 53. Ebr. 12, 22.

6. Nec ambiguitate caret, ſi quis angelorum *virtutes* exacte definire et quaſi emetiri voluerit; cum quidquid nobis in hac re licet ſtatuere, ad analogiam quamdam et humanae naturae ſimilitudinem redeat, infirmum ſane et precarium comparationis fundamentum. Tutius in eo acquieſcimus, quod ſacrae litterae docent, eos hominibus longiſſime in genere praeſtare et ισχυι και δυναμει μειζονας eſſe 2 Petr. 2, 11.

7. Cum autem angeli ad claſſem naturarum intelligentium moralique ingenio praeditarum pertineant, credibile eſt, eos multis modis inter ſe diverſos eſſe et variis quoque modis libertate viribusque uſos eſſe ſuis. Hinc in genere diſtinguuntur in *bonos* et *malos*; quamquam ii fere, qui conſiliis et voluntati divinae pie ſtetere, ſimpliciter et eminenter angeli (malachim) dicuntur.

8. Et *bonorum* quidem angelorum praeſtantia, a) etſi naturarum creatarum anguſtiis et labe non omnino careant Io. 4, 18. vehementer et ita laudatur, *ut* proximi Deo miniſtri nominentur Matth. 18, 10. *ὁρατε, μη καταφρονησητε ενος των μικρων τουτων, λεγω γαρ ὑμιν, οτι οι ἀγγελοι ἀυτων εν ουρανοις βλεπουσι, το προσωπον του πατρος μου, του εν ουρανοις*. *ut* in coelo verſari, ſancti et propterea Deo cari dicantur 1 Tim. 5, 21. *διαμαρτυρομαι ενωπιον του θεου και κυριου Ιησου Χριςου, και των ἐκλεκτων ἀγγελων.*

Matth. 25, 31. *οταν δε ἐλθη ὁ υιος του ἀνθρωπου εν τη δοξη ἀυτου και παντες ὁι ἁγιοι ἀγγελοι μετ᾽ αυτου, τοτε καθισει επι θρονου δοξης αυτου και* etc.

Ut quod ad dignitatem et laudem ſuam Chriſto comparati ab hoc uno ſuperari dicantur Ebr. 1, 4. ſq. *τοσουτω κρειττων γενομενος των ἀγγελων, ὁσω διαφορωτερον παρ᾽ αυτους κεκληρονομηκεν ὀνομα. τινι γαρ* etc.

Huc accedit quod appoſita vox ἀγγελου ipſa iam eminentiam quamdam innuere ſolet, ut ſapientia angeli 2 Sam. 14, 17. 20. panis angelorum, i. e. coeleſtis Pſ. 78, 25. facies angeli Act. 6, 15 και ατενισαντες εις αυτον απαντες οι καθεζομενοι εν τω συνεδριω, ἐιδον το προσωπον αυτου ὡσει προσωπον αγγελου. i. e. vultum dignitate plenum.

b. Hos angelos et innumeros eſſe et dignitate alios prae aliis eminere et credibile per ſe eſt et ſacra ſcriptura non dubie ſignificat. Memorantur enim ἀρχαγγελοι et ἀγγελοι 1 Theſſ. 4, 16. Iud. 9. Eph. 3, 10. ἱνα γνωρισθῃ νυν ταις αρχαις και ἐξουσιαις εν τοις ἐπουρανιοις, δια της ἐκκλησιας ἡ πολυποικιλος σοφια του θεου. i. e. ut coelitum celſiſſimis innoteſcat etc. cfr. Zach. 1, 11.

c. Neque tamen ex his et aliis locis *ordines* quaſi deſcripſeris et civitatem in coelo angelicam per claſſes diſtributam effeceris, quod Iudaicis et Dioniſii Areopagitae, Pſeudonymi (non eius qui eſt Act. 17, 34.) conaminibus relinquimus, quae claſſes Cherubim, Seraphim (Dan. 7. Ezech. 10.) etc. fingunt, quibus alii addunt, quae in N. T. paſſim memorantur, ut θρονοι, αρχαι, κυριοτητες, ἐξουσιαι 1 Petr. 3, 22. Col. 1, 16. cp. 2, 15. Eph. 1, 21. Rom. 8, 38.

d. Iam et ipſum nomen (malachim, αγγελοι) ut ſupra iam monuimus, non eſt naturae, ſed muneris (Ebr. 1, 14. ουχι παντες εισι λειτουργικα πνευματα, εις διακονιαν ἀποσελλομενα δια τους μελλοντας κληρονομειν σωτηριαν) et miniſtros Dei in-

Digitized by Google

nuit praecipua dignitate conſpicuos (Luc. 1, 19. εγω ειμι Γαβριελ ὁ παρεστηκως ενωπιον του θεου — Matth. 18, 10. βλεπων το προσωπον του θεου; i. e. apparens Deo, proximus regi.) His igitur Deus uti dicitur adminiſtris in mundo gubernando. De cuius rei probabilitate ſi praeter ea, quae in S. S. proferuntur, licet argumentari, multa ſane ſunt, quae e re dici poſſunt. Ac primum quidem nemo ſit, qui rem incredibilem et abſonam per rationis argumenta effici dicat. Enim vero, quis negaverit Deum ceteris naturis intelligentibus aeque ac hominibus uti *poſſe* ad conſilia ſua in mundo exſequenda? iisque eo melius, quo praeſtantiores ſint et aptiores ad grandia officiorum demandatorum munia ſubeunda? Et deinde, quis quaeſo futilem ferat opinionem Deum ullum conſtituiſſe naturarum genus, quod eſſet ignavum ac iners ſive coeli ſive terrae pondus; ac genus quidem tale, quod natura ac ingenio ſuo ad ſollertiam et operam quamque ſit inſtructiſſimum? Denique ſi animi iſti coeleſtes et intelligentia et vi et libertate vigent, qualis tandem iis campus poterit praeberi, ubi ſedem et theatrum virtutis ſuae exſtruant et figant, niſi idem, in quo ſunt vivuntque, mundus? At ſanctitate prae primis dicuntur eminere; ſanctitas autem occaſionem flagitat exercitii; et Deo quoque obedire ipſique propterea adamati eſſe dicuntur, hinc aut velint, agant et exſequantur aliquid, ut et ipſi moralitatis laude magis magis-

Digitized by Google

que extollantur et Numinis, cui apparent, gloria evehatur, aut vana omnis eſt de mentibus coeleſtibus opinio.

Coelites igitur intelligentes, volentes, liberi et intelligentia et voluntate et libertate agere, eoque intelligentius, efficacius et liberius, quo magis humanae praeſtant imbecillitati, *quin* etiam ipſum eſſe mundum, in quo agant, munia obeant, officiorum et ſanctimoniae theatrum exſtruant, omnia itidem eorum *facta* finibus convenire bonorum et gloriae Numinis provehendae, certiſſimum eſt. Iam ſi quaeras, quae eorum ſpeciatim ſint partes, quae munia, quae vires, quam late et quem in finem pateant, hoc ratio ignorat pura, experientia iam ſilet, ergo iis ſimus contenti, quae S. S. in hanc rem innoteſcere voluerunt.

Quodſi ſacros ſcriptores audiamus, ii bonos angelos virtute ac officio inter alia ſic exerceri docent, ut Deus ſua conſilia exſecuturus illis certa iniungat negotia ad homines pertinentia. Ita per illos Deus hominibus *vel* praeſtat tutamen mortalesque eripit periculis, (ut Act. 12, 6. ſq. angelus Petrum e cuſtodia liberat v. 13. Herodem interficit cp. 27, 24. Paulum conſolatur et erigit naufraugium timentem. Similiter cp. 8, 26, angelus apparet Philippo cp, 10, 3. Cornelio.) *vel* rei alicuius notitia imbuit Luc. 1, 11. ſq. 26. ſq. cp. 2, 9. Act. 5, 19 — 20 αγγελος δε κυριου δια της νυκτος ηνοιξε

τας θυρας της φυλακης. ἐξαγαγων τε αυτους ειπε: πορευεσθε και ςαθεντες λαλειτε εν τῳ ιερῳ τῳ λαῳ παντα τα ρηματα της ζωης ταυτης. cfr. Matth. 1, 24. cp. 26, 53. cp. 28, 5. cp. 2, 13. cp. 4, 6, cp. 18, 10. Ebr. 1, 14. Pſ. 91, 11. *vel* ubique in vita per illos documenta providentiae ſuae manifeſtat praeſertim filium ſuum iuvans et talem declarans Io. 1, 51. *vel* olim bonos a malis ſeparabit omne illorum cum his conſortium tollens Matth. 13, 41. ἀποςελεῖ ὁ υιος του ἀνθρωπου τους ἀγγελους ἀυτου, και συλλεξουσιν εκ της βασιλειας αυτου παντα τα σκανδαλα και τους ποιουντας την ἀνομιαν.

Ex his ſat lucide apparet, Deum angelis uti adminiſtris, ut providentiae ſuae manifeſta edat documenta, ut piis bonisque proſit et ſuccurrat, ut finibus, maxime, bonorum conſulat. Haec quidem, maxime, eſt ſententia, quam Ieſus eiusque amici conſtanter tuentur; et ita a nobis accipi volunt, ut ſanctitati ſtudentes caeterum ſine curis et timoribus vitam agamus; et ne mortis quidem metu et de futura commoratione curis agitemur, quippe cum Dei nos providentia, corporum noſtrorum expertes, tutos nos et incolumes in beatas ſedes ſit translatura. Luc. 16, 22. Εγενετο δε ἀποθανειν τον πτωχον και απενεχθηναι υπο των αγγελων εις τον κολπον του Αβρααμ. Iam ultra fines bonorum, qui proponuntur, et ſapientiae divinae ſpecimina, quae innuuntur ſapere velle et quaerere, qui ſit mo-

Digitized by Google

dus, quo coelites adſint, tempus finire, quando adſint, et ab uno tempore ad omnia concludere (Luc. 1, 11. 26. Act. 5, 19. cp. 12, 7.) et indigna adeo angelis comminiſci, eosque quaſi pediſſequos hominibus additos diurnos nocturnosque facere, vel Iudaeorum in ea re ſedulitatem imitari et nomina pro lubitu procudere *vel* e viſis et Cheruborum (animalium ſphingicorum tonanti currui Dei iunctorum aut thronum Iehovae portantium) Seraphorumque (*imaginum* ſexies alitum regis maieſtatem adumbrantium) deſcriptionibus aut hieroglyphis dogmata eruere, vix pietatis eſt chriſtianae. Iſta enim hieroglypha rem non adſpectabilem per effigiem exprimentia adſpectabilem ex parte ad angelos quidem pertinent Ieſ. 6. Ap. 4, 6. haud vero ubique Pſ. 18, 11. Ezech. 1, 10. Gen. 3, 24.

e. Cum autem pateat coelites a Deo eſſe creatos, eique ſubeſſe et officia aeque debere ac homines, quippe qui ipſi appareant et obediant iubenti et demandanti, Apoc. 19, 10. ſequitur, in ſe quidem ſuſpiciendas eſſe naturas tantis viribus laudibusque conſpicuas, minime vero chriſtianae eſſe pietatis, easdem in precibus faciendis compellare earumque gratiam votis Deo uni debitis aucupari, Apoc. 19, 10. 22. 8. quippe quae res facile in idololatriam abire poſſit incertoque prorſus nitatur fundamento, cum ignoremus, an et quomodo et quatenus ad nos pertineant, quid in noſtra cauſa vale-

Digitized by Google

ant, quid minus; dubium contra nullum ſit, nos per aliquem ipſis angelis et angelorum a Deo principe longe eminentiorem interpretem, Jeſum Chriſtum, rectius preces ad Deum fundere, per Ieſum quidem talem, quem et ipſi adorent angeli Ebr. 1, 6. 13. 14. *και προσκυνησατωσαν αυτῳ παντες ἀγγελοι θεου* etc. et nos unice revereri iubeamur poſthabitis Iudaeorum cerimoniis et *θρησκεια των αγγελων* Col. 2, 18—19. Accedit, quod et nosmet ipſi eamdem dignitatis, quam coelites tenent, copiam aſſecuturi dicimur Matth. 12, 30. *ως ἀγγελοι του θεου εν ουρανῳ εισι.*

9. Naturas quasque intelligentes et legibus ſanctitatis ſubditas vel coeleſtes etiam labi poſſe per ſe patet, et lapſas eſſe graviterque peccaſſe ſacra docet ſcriptura. Fuere enim coelites alii, qui divinis ſtarent conſiliis, alii qui contra niterentur. Natum eſt inde genus coelitum atrox et perverſum; *δαιμονες, κακοδαιμονες, δαιμονια* (opp. *αγαθοδαιμονες, ευδαιμονες*) Iac. 2, 19. *πνευματα ακαθαρτα* Luc. 8, 29. *τα πνευματικα της πονηριας* (ſpiritus mali, malorum auctores) dicuntur. Eph. 6, 12. Huc referunt primarium et anteſignanum quemdam reliquorum quaſi ducem, Satanam 2 Cor. 12, 7. Beelſebub Luc. 11, 15. Belial 2 Cor. 6, 15, *τον Διαβολον* Matth. 25, 41. 1 Io. 3, 8 ſq. *τον Πονηρον* 1 Io. 2, 13. 14.

a. Vox autem Satanas, שָׂטָן, *ὁ ἀντιδικος* adverſarium quemdam, qui contra molitur, criminatur, ſignificat 1 Reg. 5, 4. cp. 11, 14. 25. iq.

διαβολος, delator; quilibet bonae cauſae adverſarius. Tum praeſertim dici coepit de daemonum principe, rei Iſraelitarum publicae adverſante 1 Chron. 21, 1. Huic congruit vox, quae ſemel legitur, 2 Cor. 6, 15. בליעל (a בלי et יעל, altus fuit) abiectus ad ſcelera quaevis et dedecora, Nequam ille et noxius, ο Πονηρος *Matth.* 6, 13. cfr. Iudic. 19, 22. 2 Sam. 10, 11. et alibi— et Beelſebub Luc. 11, 15. hoc eſt: בעל זבוב, cuius fit mentio 2 Reg. 1, 2, numinis *Accaronitarum*, quod vulgo vertunt: Deus muſcarum, vel בעל זבול dii ſepulchri i. e. dii inferorum, vel domus coeleſtis dominus. — Incerta nominis eſt origo, vox tamen ipſa eumdem ſignificat quem Satanas, Belial.

b. Malarum mentium in V. T. ſaepe fit mentio. Satanas ille ſeu criminator iam Iob. 1, 7 cp. 2, 2 ſq. inſurgit, mortales Deo defert, criminatur et multis conatibus a recto ſeducere audet. Iſraelitae 5 Moſ. 32, 17. vituperantur, quod cacodaemonibus (שדים, שעירים, חבלים, אלילים etc.) ſacrificia obtulerint. 1 Sam. 16, 14. cedente (רוח יהוה) ſpiritu divino Saulum (רוח רעה) ſpiritus malus occupat perturbatque. cp. 28, 7. femina necromantiam exercens (בעלת אוב ἐγγαστρίμυθος) et ſpiritu adiuta malo mortuorum evocat manes. Zach. 13, 2 pſeudoprophetae impuris afflati ſpiritibus vaticinantur. cfr. Act. 16, 16. Macc. 6, 46 cp. 9, 27.

Digitized by Google

Pariter in N. T. Satanas (ἀνθρωποκτονος Io. 8, 44.) Ieſum dicitur tentaſſe in deſerto commorantem Matth. 4, 1. ſq. (Quam rem, quomodocumque explices, opinione tamen de Satana, ſpiritu mala quaevis moliente, niti extra dubium eſt) aegrotos multos obſediſſe Matth. 9, 32. Gadarenum praeſertim illum cp. 8, 28.

c. Quamquam autem facile dabitur, daemonum nomen (et Satanae praeſertim) quamcumque vim non adſpectabilem, rerum terreſtrium rectricem ſignificare et voces τυχην et δαιμονια eadem fere poteſtate (Eſ. 65, 10. גד alii τυχην, alius δαιμονα vertit) uſurpari, haec tamen non impediunt, quo minus vel bonos vel malos *eſſe* genios ſtatuamus, cuius rei praeterea non obſcuram faciunt fidem Chriſti et apoſtolorum teſtimonia, vel in iis quoque locis propoſita, ubi erroris et ſuperſtitionis, ſi fuiſſet, refellendae opportunitatem oblatam fuiſſe intelligimus Io. 8, 44. διατι την λαλιαν την εμην ὀν γινωσκετε? οτι ου δυνασθε ακουειν τον λογον τον μου. ὑμεις εκ πατρος του διαβολου εςε και τας ἐπιθυμιας του πατρος ὑμων θελετε ποιειν. εκεινος ἀνθρωποκτονος ἠν απ' ἀρχης, και εν τη ἀληθεια ουκ εςηκεν. οτι ουκ εςιν αληθεια εν αυτῳ. ὁταν λαλει το ψευδος, εκ των ιδιων λαλει. οτι ψευςης εςι, και ὁ πατηρ αυτου, εγω δε οτι την αληθειαν λεγω, ου πιςευετε μοι. cfr. Luc. 22, 31. Paulum, cuius in profligandis Iudaeorum erroribus non minor liberalitas fuit quam ſeveritas, qui vulgarem et inveteratam

ſuperſtitionem etiam cum capitis periculo non veritus eſt damnare, qui animi tranquillitatem contra inanem quemque metum tueri ſtuduit, hunc indulſiſſe dicamus opinionibus confictis, atque ſpectrum imaginationis, terrendis animis unice aptum, ſtudioſe propoſuiſſe? Eph. 2, 1. ſq. Ioannem ſummam fidei ea tradentem *pietate* ac ſeveritate ut contra quemvis errorem graviter inſurgat, ea denique ſimplicitate, ut a ſublimioribus ſubinde revocet lectores *tenuique* et populari utatur ſermone; hunc ipſum nihilo minus legimus victorias Chriſti de diabolo laudare 1 Io. 3, 8. atque cum doctrina de Satana ſalutare Ieſu opus coniungere.

Nec igitur credibile eſt Ieſum et apoſtolos verba ſua tantum opinioni Iudaeorum et uſui loquendi vulgari accommodaſſe, nec apoſtolus ullus, daemonas eſſe, diſerte negat, etenim locus 1 Cor. 8, 4. et cp. 10, 19—20. eſt de vanitate idololatriae et idolorum, de coelitum impurorum exiſtentia nihil finit.

Accedit quod planae de miſeria diaboli graviter peccantis deſcriptiones proferuntur. 2 Petr. 2, 4. Iud. 6. qui, Petrus, *αγγελους ἁμαρτησαντας*, et eius interpres Iudas, *ἀγγελους μη τηρησαντας την ἑαυτων αρχην* (principiatum, provinciam) *αλλα απολιποντας το ιδιον κατοικτηριον* (deferentes domicilium, ſedem ſibi demandatam) dicunt.

Digitized by Google

d. Daemones etiam malos, etſi prima ſua moralitatis laude exciderint, eximia tamen *gaudere* dicuntur tum *intelligentia* tum *poteſtate*. Atque animi vitium naturae haud immutat vires, congenitaeque dotes exinde corrumpuntur et in perverſa tendunt, non abolentur et quaſi exſtirpantur. Id quod vel quotidianus de hominibus moraliter deperditis docet uſus. Quapropter et princeps ille cacodaemonum aſtutia valere et propter inſidias cavendus eſſe dicitur Eph. 6, 11—12.

e. Iidem porro angeli mali *peccaſſe* dicuntur et propterea *miſeri* et *eſſe* et *fore*. Quomodo peccaverint, non ſatis liquet. Perhibentur tamen provincias ſibi mandatas non tenuiſſe (Iud. 6.) et ſedem deſeruiſſe ſibi conſtitutam; quod, ſi quid video, in genere eſt: eos ab officiis deſciviſſe ſibi iniunctis; non obediiſſe Deo optimo maximo; iam autem animo in quaevis vera bonaque infeſto ferri Io. 8, 44. Iac. 3, 14—17. Miſeri propterea eſſe perhibentur, quippe qui poenas dent meritas, eo, quod (ὁ θεος αγγελων ἁμαρτησάντων ουκ αφεισατο, ἀλλα σειραις ζοφου ταρταρωσας παρεδωκεν εις κρισιν τετηρημενους 2 Petr. 2, 4.) Deus tantum abeſt ut pepercerit angelis peccantibus, ut potius eos in tartarum proſtratos cuſtodia miſerrima ad ultimam diem ſervandos dederit; ubi quidem φρισσουσι θεον Iac. 2, 19. Quae igitur clare dicuntur, haec ſunt: a) peccantes angelos e coelo depulſos b) veniſſe in

Digitized by Google

tartarum c) cuſtodia ibi teneri miſerrima (eſt enim ζοφος miſeriae imago. Matth. 8, 12. 2 Petr. 4, 17.) d) etiamnum, οτι θεος εςι, πιςευοντας και φρισσοντας. e) ſupplicio (κρισις) ſervari ultimo Matth. 25, 41. Iud. 6.

f. Quem autem in finem duratura ſit daemonum poena, ex eo colligitur, quod Iudas v. 6. eos aeternis carceribus (δεσμοις αιδιοις) teneri et Ieſus diabolo miniſtrisque aeternos ignes paratos (το πυρ το αιωνιον το ἡτοιμασμενον τῳ διαβολῳ και τοις ἀγγελοις αυτου Matth. 25, 41.) eſſe dicunt. Poenae et miſeriae malorum ſemper reſpectu praemiorum et beatitatis bonorum expendi debent; et hoc quidem reſpectu non video, quomodo aliae quam perennes vel poenae vel miſeriae locum habeant. Semper enim ſtabit diſcrimen inter bonos, qui fuere, et malos; quidni diſcrimen inter conditionem aliam, quae bonitatem et aliam, quae pravitatem neceſſario ſequitur? Iidem vero, qui cum bonis comparati admodum longe relinquuntur, (et profecto, ubi de miſeriis malorum eſt ſermo, ibi nexum ſemper vides ſpectari, qui inter iſtos intercedit et bonos. Ab hoc igitur nexu non eſt diſcedendum, ubi de poenis malorum vel daemonum vel hominum aliquid, ſacris S. convenienter, finire volueris) nihil eſt, quod impediat, quo minus extra nexum ſpectati ad meliorem redeant frugem, meliori ſenſim ſenſimque fruantur con-

Digitized by Google

ditione et ſ. p. Tali modo Numinis ſapientiſſimi ſtabit benignitas aeque ac iuſtitia.

g. Quod autem maxime ſpectari debet, hoc eſt, malos animos peccaſſe et *propterea* miſeros eſſe; atque etiamnum in pravis ſuis perſeverare conſiliis, et *propterea* malis urgeri meritis. Ex quo et iuſtitia Dei elucet punientis et argumenta nobis ad pietatem utilia proferuntur.

h. *Morale* igitur eſt *malum* quod in angelis pravis et eorum duce, Diabolo, ſpectare iubemur, ne eius veſtigia ſequentes, ipſi hactenus ſimiles evadamus. Quicumque autem peccat, hactenus τεκνον του διαβολου (1 Io. 3, 7 — 11,) h. e. animo et ſenſu diaboli ſimilis dicitur; et εργον του διαβολου factum, quale ille, patrat, proptereaque, quod malefacit eſt κατα τον διαβολον, h. e. ad ſimilitudinem eius Io. 8, 44. Eph. 2, 1 — 2. και ὑμας οντας νεκρους τοις παραπτωμασι και ταις ἁμαρτιαις. ἐν ἁις ποτε περιεπατησατε κατα τον αιωνα του κοσμου τουτου, κατα τον αρχοντα της ἐξουσιας του ἀερος, του πνευματος του νυν ἐνεργουντος εν τοις ὑιοις της ἀπειθειας; — ὁ θεος συνεζωοποιησε τω Χριςω.

i. Quidquid igitur eſt vel mali moralis vel cauſarum eius, vel detrimentorum vel hominum pravorum, id omne ad *regnum diaboli* pertinere, diabolusque eius regni princeps dicitur, tamquam dominus του σκοτους ſeu κοσμου. Col. 1, 13. ὁς ἐρρυσατο ὑμας εκ της εξουσιας του σκοτους, και μετεςησεν εις την βασιλειαν του ὑιου της

αγαπης ἀυτου. Act. 26, 18. ἀνοιξαι οφθαλμους ἀοτων του επιςρεψαι απο σκοτους εις φως και της εξουσιας του Σατανα επι τον θεον του λαβειν αυτους αφεσιν ἁμαρτιων και κληρον εν τοις αγιασμενοις, πιςει τη εις εμε. Io. 12, 13. νυν κρισις εςι του κοσμου τουτου. νυν ὁ αρχων του κοσμου τουτου εκβληθησεται ἐξω. cfr. cp. 14, 30. cp. 16, 11. 2 Cor. 4, 4. εν οις ὁ θεος του αιωνος τουτου ετυφλωσε τα νοηματα των ἀπιςων, εις το μη αυγασαι αυτοις τον φωτισμον του ἐυαγγελιου της δοξης του Χριςου, ος εςιν ἐικων του θεου. — Ex quibus locis apparet, regnum Satanae regno opponi Chriſti et Dei; hoc eſt, omni ei, quidquid eſt vel boni moralis, vel cauſarum et effectuum eius vel bonorum hominum Apoc. 12, 9—12. Quare quicumque divinis renituntur conſiliis inſtitutisque, cum diabolo facere, υιοι του πονηρου, et εχθροι τῳ θεω και Χριςῳ eſſe dicuntur Matth. 13, 38, 39. ὁ δε εχθρος ὁ σπειρας αυτα εςιν ὁ διαβολος. Io. 15, 18—19. ἐι ὁ κοσμος υμας μισει, γινωσκετε, ὁτι εμε πρωτον ὑμων μεμισηκεν. ει εκ του κοσμου ειτε etc. Col. 1, 21. και ὑμας ποτε οντας απηλλοτριωμενους και εχθρους τη διανοια εν τοις εργοις τοις πονηροις νυνι δε αποκατηλλαξεν etc. Iac. 4, 4. οιδατε οτι ἡ φιλια του κοσμου, εχθρα του θεου εςιν; ὁς αν ουν βουληθη φιλος ειναι του κοσμου, εχθρος του θεου καθιςαται. Quae ſi rite perpendantur, dubium nullum eſt, cunctam regni diaboli et Chriſti comparationem argumenta praebere ad fugienda ſcelera et ſectandam pietatem.

Digitized by Google

k. *Ut* autem Satanas regno Chriſti infenſus, veritatis chriſtianae adverſarius (Io. 8, 44. 1 Petr. 5, 9.) atque impietatis cuiusque praeſes deſcribitur Eph. 2, 2. cp. 6, 12. Io. 12, 31. 2 Cor. 4, 4. *ita inimico adverſus homines eſſe ſenſu* et cupere dicitur, ut peccent, miſerique reddantur, adeoque ipſius utroque modo ſimiles ſint. Hinc ἀνθρωποκτονος (Io. 8, 44.) hominum perniciem quaerens Luc. 22, 31. Σιμων, ιδου, ο σατανας εξητησα το ὑμας, του σινιασαι ὡς τον σιτον. 2 Cor. 2, 10. ἱνα μη πλεονεκτηθωμεν ὑπο του σατανᾶ. ὁυ γαρ αυτου νοηματα (conſilia prava, pravae machinationes, מְזִמּוֹת, מְזִמּוֹת) αγνοουμεν.

Quare etiam ſedulus inter eos qui malefaciunt et in eo occupatus eſſe dicitur, ut aut ad mala conferat moralia, aut bona impediat. 1 Cor. 7, 5. ινα μη πειραζῃ υμας ὁ σατανας δια την ἀκρασιαν υμων. i. e. ne tentando ad intemperantiam conferat veſtram. Quod ut perficiat, ſe diſſimulare perhibetur 2 Cor. 11, 14—15. αυτος γαρ ὁ σατανας μετασχηματιζεται εις αγγελον φωτος — και ὁι διακονοι αυτου μετασχηματιζονται ως διακονοι δικαιοσυνης.

l. Ex iis, quae memoravimus, extra dubitationis aleam ponitur, daemones malos et illum praeſertim ſuorum nequiſſimum Satanam eſſe, peccaſſe, propter peccata miſeros eſſe, atque etiamnum prava velle, moliri, agere, malefacientibus favere, invidere benefacientibus et rebus, maxime, divinis reniti, orſisque Chriſti adverſari; unde quidquid impedit religionis chri-

ſtianae vel ſcientiam, vel exercitium vel progreſſum una cum cauſis eius rei notiſſimis et uſitatis, cupiditatibus, negligentia, ignorantia; id ad Satanam refertur tamquam omnium malorum principium et fontem primum. 1 Petr. 5, 8. νηψατε, γρηγορησατε, οτι ὁ αντιδικος ὑμων διαβολος, ὡς λεων ωρυομενος, περιπατει, ζητων τινα καταπιη. 1 Theſſ. 2, 18. διο ηθελησαμεν ελθειν προς υμας (εγω μεν Παυλος) και απαξ και δις, και ενεσκοψεν ὑμας ὁ σατανας.

m. Omnia autem haec ideo proferuntur, ut eo cautius ardentiusque malo cuique renitamur, vel ingenii vitiis et ſceleribus ſuis nos blanditiis allicientibus vel hominibus pravis in conſortium malefactorum nos adducentibus, quod fit ſerio verae pietatis ſtudio, diſciplinae chriſtianae amore et obſequio, fiducia precibusque ad Deum fuſis etc. quod qui facit, eo ipſo diaboli ſimul votis conatibusque renititur, adeo ut diabolo reſiſtere idem ſit ac malo reniti; Deo contra obedire et ſanctitati ſtudere Iac. 4, 7. ὑποταγητε ουν τῳ θεῳ, αντιστητε τῳ διαβολῳ και φευξεται αφ᾽ ὑμων. ἐγγισατε τῳ θεῳ και εγγιει ὑμιν, καθαρισατε χειρας, ἁμαρτωλοι, και ἁγνισατε καρδιας, διψυχοι etc. Rom. 16, 19 — 20. θελω δε υμας σοφους μεν εἶναι εἰς το αγαθον, ακεραιους δε εις το κακον. ὁ δε θεος της ειρηνης συντριψει τον σαταναν υπο τους ποδας υμων εν ταχει.

n. De *modo*, quo mali animi et *Satanas* praeſertim *ad homines pertineat*, quid et quan-

Digitized by Google

tum conferat vel impediat, quousque procedat, ubi incipiat deſinative, quid penes homines ſit ipſos et cauſas, quae in iis vel extra eos ſunt; id, *quod ad theoriam*, nuſquam deſcribitur.

Ne tamen opinio de vi ac poteſtate diaboli ad homines pertinente, quod ad praxin in ſuperſtitionem et impietatem abeat, diligentiſſime cautum eſt a Ieſu eiusque legatis.

Prolocuti enim de Satanae peccato et miſeria (2 Petr. 2, 4. Iud. 6. Io. 8, 44. 1 Io. 3, 8.) de ſede potentiaque Eph. 2, 2. cp. 6, 10—12. de infenſis adverſus homines ſtudiis (1 Petr. 5, 8.) ſtatim clariſſimis edocent verbis: *νυν κρισις εςι του κοσμου τουτου. νυν ὁ αρχων του κοσμου τουτου εκβληθησεται εξω.* Io. 12, 31. — *εις τουτο εφανερωθη ὁ υιος του θεου, ἱνα λυσῃ τα εργα του διαβολου.* 1 Io. 3, 8. Ergo omnis Satanae vis potentiaque iam fracta eſt per Ieſum, ille nihil iam valet poteſtque, adeo ut ne minimum quidem iam ſit vitioſitatis et pravitatis, quod homines, ſuarum libidinum vim effrenatam excuſantes, in alienam quamdam et diaboli malorumve daemonum poteſtatem transferre poſſint. Talia culpam a ſe amoliendi conamina ne locum habeant, diſerte Ieſus apoſtolique docent, omnia conſilia prava ex animo hominum autonomon et autocrateron ipſo prodire Marc. 7, 20. ſq. *ελεγε δε* (*ὁ Χριςος*:) *το εκ του ἀνθρωπου εκπορευομενον ἐκεινο κοινοῖ τον ἀνθρωπον. Εσωθεν γαρ εκ της καρδιας των ἀνθρωπων ὁι διαλογισμοι οι κα-*

και εκπορευονται, μοιχειαι etc. — atque, ſi quis tentetur, ſua quemvis cupiditate allectum et ineſcatum quaſi tentari. Iac. 1, 14. *ἑκαςος δε πειραζεται υπο της ιδιας επιθυμιας εξελκομενος και δελεαζομενος. ειτα ἡ επιθυμια συλλαβουσα τικτει αμαρτιαν. ἡ δε αμαρτια αποτελεσθεισα ἀποκυει θανάτον.* Proptereaque neminem vi aliena et acriore trahi et in ſocietatem Satanae rapi, ſed eum et talem eſſe Satanae ſectatorem, qui peccet. 1 Io. 3, 8. *ὁ ποιων την αμαρτιαν εκ του διαβολου εςι*; atque haec cum Satana comparatio inde petitur, quod *ἀπ' ἀρχης ὁ διαβολος ἁμαρτανει.* Contra *ὁ ποιων την δικαιοσυνην εκ του θεου εςιν.*

Quae ſi rite perpendantur lucem affundunt ceteris locis, qui de Satana habent inſidias ſtruente, concupiſcente, inflante, circumeunte etc. ut: Io. 13, 26. Luc. 22, 31. Eph. 6, 10 — 12. 1 Petr. 5, 8 — 9. Act. 5, 3. in quibus locis fruſtra quaerunt praeſidium, qui Satanae tantam in homines vim eſſe opinantur, ut hominum animos *invitos* pellicere, tentare, ad ſcelus inſtigare et rapere queat. Quae quidem opinio ut a Dei legislatoris ſanctitate et maieſtate, ab hominis libertate et ſcopo moralitatis praefinito alieniſſima eſt, ita alios peperit quaeſtiones, errores et ritus, ut: Satanam gentibus imperare profanis, ab eo idololatriae origines repetendas eſſe; daemones per aëra circumvolitare, adeſſe ſacrificiis eorumque ni-

Digitized by Google

dore delectari, loqui per oracula, inſidiari inter preces, atque homines ante baptiſmum quoscumque, adeoque et chriſtianis parentibus prognatos infantes, obſidere, exorciſmo abigendos eſſe etc. Nos talibus haud immoremur quaeſtionibus curioſitati magis quam pietati ſervientibus. Quas quidem ſi qui ſint qui ingenii luxurie deliniti velint pertractare, hos rogamus, ne, dum altiora capeſſunt, *vel* in ſuperſtitionem delabantur, rebus curioſis ultra divini inſtrumenti praecepta inhiantes *vel* in impietatem adeo proruant, alienis viribus cauſas et momenta propriae pravitatis adſcribentes.

Scholion. 1.

Totus de animis coeleſtibus locus ut theoriis minime inſervit, ita practice his praeſertim conſtitutus eſt finibus: ut nimirum, vel providentiae divinae exſtarent documenta vel pietatis imperatae et gratiae divinae per Chriſtum conceſſae nobis admoverentur argumenta et pondera.

Quid enim rationi magis conſentaneum eſt, quam Deum et alios praeter homines creaſſe animos, iisque ad ſummum bonum in mundo producendum uſum eſſe et etiamnum uti? Quid probabilius, quam iſtos coelites alios melius peius alios ſuis ſibi praefinitis ſtetiſſe conſiliis? Lapſos igitur eſſe, impie feciſſe et propterea ſuas dediſ-

ſe et etiamnum dare poenas? Qui ſi quid cogitant, cupiunt, moliuntur; quid aliud hoc eſſe poterit, quam contra finem bonorum renitentia? et ſi qua ipſis vis adhuc reliqua; quid aliud eadem moliantur, quam ut bona bonorum opera impediant, bonis invideant, inſidientur? Quae quomodo exigi poſſint, non noſtrae eſt imbecillitatis aut quaerere aut finire; ut ut autem exigantur, diligentiſſime cavetur, ne quid detrimenti divina capiat diſciplina; ut potius exempla inferantur ſuis nos veſtigiis terrentia, incitamenta obedientiae ac virtutis praebentia, et quum omnis imperii ſatanici vis per Ieſum fracta eſſe dicatur; hoc rurſus nos grato replet animo erga Dei patris caritatem et Chriſti filii merita.

Ergo fructus ex hoc loco percipi poſſunt permulti, modo placuerit practicis immorari conſiliis; ne autem vel ſuperſtitio alatur, vel impietatis adeo praeſidia ſtabiliantur, proviſum eſt eo, *quod* Satanae poteſtas poſt Ieſum dicitur eſſe nulla — quibus verbis uberrima ſane vis ineſt, ſi quis ad vivum reſecare valuerit, et *quod* omnis delinquendi cauſae et momenta in ipſo hominis ingenio et ſenſuum illecebris reponuntur, ſic ut peccans *poſtquam* peccavit, in ſocietatem veniat Mali, nullumque ſit peccata a ſe amoliendi et in alienas vires transferendi fundamentum, nullusque vel tergiverſationi vel excuſationi locus. Rom. 2, 15. cfr. cp. 1, 20. ὅταν γαρ εθνη τα

μη νομον εχοντα, φυσει τα του νομου ποιῃ, ουτοι νομον μη ἐχοντες, ἑαυτοις εισι νομος. οι τινες ενδεικνυνται το εργον του νομου γραπτον εν ταις καρδιαις ἀυτων, συμμαρτυρουσης ἀυτων της συνειδησεως, και μεταξυ αλληλων των λογισμων κατηγορουντων, ἠ και απολογουμενων — εις το ειναι αυτους αναπολογητους.

Tali modo a viris ſacris cuncta *impietatis* praeſidia praerepta ſunt, *theoriarum* autem ſyſtemata condere, non eſt doctoris religionis, qui a practicis cavere erroribus ſatagit.

Scholion. 2.

Quaeſitum eſt, coelites an corpore induti ſint, nec ne. Quaeſtio theoriis inſervit; facile tamen pro noſtra intelligendi facultate et haud refragante ſimul ſacrorum l. teſtimonio finitur. Nos quidem nihil cogitare poſſumus, niſi quod et alicubi et aliquando eſſe ponamus, iam et animi coeleſtes tum in loco tum in tempore eſſe, velle, moliri et agere dicuntur, igitur involucro aliquo ſepti cogitandi ſunt. Praeterea cogitatio de mente aliqua pura, mere eſt problematica et quomodo mens corpore carens eſſe, adeſſe, vim exſerere, moliri, agere poſſit, plane non capimus, imo nos quidem cunctas, quae creatae ſunt, naturas intelligentes et finitas corpore involutas cogitare debemus. Quali vero corpore, craſſone an tenui, non liquet;

Digitized by Google

ſunt autem corporum genera et partes innumerae. Res vero omnis ex noſtra tantummodo intelligendi poteſtate et neceſſitate deciditur; quare ultra hanc quidquam finire non audemus.

Scholion 3.

Multa de malorum daemonum et Satanae in corpora humana poteſtate diſputantur. Res omnis aut ad opinionem tunc temporis uſitatam pertinet, aut veri aliquid innuit et de corporea obſeſſione capienda eſt. Sacri ſcriptores ita loquuntur, ut hanc potius quam illam tenuiſſe ſententiam credendi ſint.

Quare libenter quidem damus, δαιμονιζεσθαι, εχειν δαιμονιον ſignificare: furere, mente captum eſſe, εξιςασθαι, idque ex inceſſu nudo, vinculorum diſciſſionibus, ſeceſſu inter ſepulchra, vagatione per loca foeda et tetra intelligi Matth. 8, 28. Marc. 5, 2. Luc. 8, 27., patere id porro ex eo quod adverſarii Ieſu criminati in vulgus ſparſerint: Ieſum furere Marc. 3, 21. coll. v. 30. ὁτι εξεςη, mente captus, δαιμονιον ακαθαρτον εχει; comitialis morbi ſymptomata cerni in homine proſtrato, ore ſpumante, corporis vehementiore agitatione (ρηξει) ac concuſſionibus Matth. 17, 15—18. Luc. 9, 39., damus, inquam, hoc et largimur uſu veniſſe, ut de talibus morbis ſemper ita diceretur; at hoc tamen non impedit, quo minus morborum iſtorum cauſa re-

Digitized by Google

motior ad Satanam ſeu daemones relata ſit, haecque viguerit ſententia et quatenus theoretica eſt, hactenus a Chriſto apoſtolisque ipſis ſervata et uſitata ſit.

Fatemur vanam eſſe argumentationem eorum, qui ideo conceſſam Diabolo, animos corporaque corrumpendi, poteſtatem eſſe ſtatuant, ut Chriſti gloria eo magis illuſtretur; quod praeter S. S. teſtimonia et pene impie dicitur — nihil colligi e formula ἐξηλθε το δαιμονιον et ſimilibus — fruſtra ad ſermones δαιμονι ζομενων provocari; etiam res ad Geraſam geſtas Matth. 8, 28 — 34. cfr. Marc. 5, 1 — 10. in furentem convenire, ut: auctum robur, oberrationes nocturnae, aegri ſomnia ſe a pluribus impeti daemonibus, metus novi cruciatus ac deprecatio, in gregem impetus ac ſtrages edita, poſt vagos impetus reſtitutio a furore (καθημενον και σωφρονουντα, ſedentem et mente integra eum repererunt. Marc. 5, 15.); רוחרע 1 Sam. 16, 14—23. de animo male affecto, melancholico, ut רעות רוח Eccleſ. 1, 14. de triſtitia, animi moerore explicari *poſſe;* Iobi hiſtoriam rem fictam exhibere.

Conceſſis his omnibus quaeſtio tamen redit haec: anne, poſitis των δαιμονιζομενων morborum cauſis naturalibus, acrior quaedam vis in cauſa remotiore fuiſſe cogitata ſit, adeo ut res eadem duplici reſpectu conſideranda fuerit; et *primum* effecta exhibuerit mere naturalia, aegrotos ex

cauſis phyſicis aegrotantes, furibundos etc.; hos ipſos autem morbos *deinde* in ſe et ut adſpectantur, naturales, naturalibus diſtinctos ſymptomatibus, naturalibus remediis abigendos, modo, neſcio, quo a cauſa remotiore inflictos eſſe, opinio fuerit et vulgi et Ieſu et apoſtolorum vulgari modo loquentium.

Res igitur ſi vel maxime naturales fuiſſe demonſtraveris, numquam tamen efficies, daemonas in cauſa omnino nulla fuiſſe — *hanc Ieſu* et apoſtolorum fuiſſe ſententiam. Quid igitur? Satanae et daemonum tantam in homines vim olim fuiſſe dicamus? Vulgus credidit; vulgari Ieſus et apoſtoli locuti ſunt ſermone, ita tamen ut in neutram partem diſerte deciderint, nusquamque tantam diaboli poteſtatem verbis vel defenderint vel refutaverint. Quare, quod ad theoriam, res in medio relinquitur, licet, quod ad praxin, diligentiſſime cautum ſit, ne ex ſuperſtitione vulgari impietatis praeſidia conquaerantur. Ergo diaboli vis moralis fracta in nihilum recidit; quem in finem phyſica eiusdem duratura ſit poteſtas, hoc penes libera hominum ſtudia eſſe Ieſus et apoſtoli voluere.

Hoc autem prae ceteris memorabile eſt et animis chriſtiana diſciplina imbutis vel imbuendis ſummo opere inculcandum, ab ingenio divinae revelationis omnibus modis abhorrere artes magicas quascumque, praeſtigias, faſcinationes, incantationes, pacta cum diabolo et quae

Digitized by Google

ſunt reliqua eius ſuperſtitionis fraudumve genera et formae. Quas quidem ineptias noſtra vix fert aetas, poſteritas autem olim plane exterminabit.

Sectio. III.

De Mundi conſervatione et gubernatione.

1. Deum huius univerſi, quale quantumque eſt, eſſe auctorem eumque haud coeca ſuae naturae neceſſitate coactum, ſed intelligentem, ſanctum, ſanctitatisque lege motum omnia a principio feciſſe et conſtituiſſe, tam firmiter credimus, quam firma in nobis ſtat imperatque divinae voluntatis lex ſancta et auguſta.

Eadem hac provocati lege credimus, quod et quotidianus edocet uſus, Deum per ſapientiam ſuam efficacem mundum ita condidiſſe, ut ex iis, quae adſint, novae res creentur, viribus ad agendum optimis inſtruantur itaque inter ſe copulentur, ut per iſtam, quam quovis tempore eſſe voluit rerum coagmentationem, ſumma omnium et ſingularum naturarum perfectio et moralis et naturalis producatur et iuvetur.

Quod igitur etiam nunc perdurant coelum et terra, quod inſigni, quo reſplendent, ornatu numquam orbantur, temporisque nullam patiun-

tur iniuriam, quod perennant omnia rerum genera ſingulaeque generum formae; quod nihil interit, imo ex iis, quae ſuo tempore diſſolvuntur, novae res novis viribus inſtructae novaque pulchritudine ornatae componuntur; quod in ſingulis rerum creatarum generibus vires, generi cuique propriae, nullo ſeculorum decurſu *in*fringuntur et extinguuntur; quod omnibus ea parata ſunt, quibus ad vitam ſuſtentandam utuntur, quod animantia ſingula, quo ſibi loco modove pabulum quaerant, ipſa docentur natura, quod innumerabilibus animantibus alendis terrae noſtrae fertilitas nullo non tempore ſufficit; quod cum ſingularum rerum fragilitate ſumma, quae in rebus ſingulis eſſe poteſt, pulchritudo, partium aptiſſima compoſitio, virium ſapientiſſima diſtributio, firma conſtantia et cum finibus vel exterioribus vel interioribus conſpiratio coniuncta eſt, quod in humano genere numerus morientium naſcentibus, morum foeminis, parvulorum adultis convenit; quod tanta liberalitate ac munificentia multiplex alimentorum copia cum ſumma ſimul dulcedine et iucunditate coniuncta amplaque remediorum adverſus dolores morbosve efficaciſſimorum parata eſt ſupellex; haec cuncta et ſingula, noſtraque in primis vita, virium duratio et uſus, naturae laus et finis praeſcripti ſublimitas, Deo ſapienti et ſancto rerum creatori et tutori piairataque mente accepta ſunt referenda.

Digitized by Google

2. Neque ſolum res univerſae quod ſunt et viribus inſtructae ſuis ſuſtentantur, ſed hoc etiam in beneficiis habendum eſt divinis, quod ita conditae, in illo loco illaque cum ceteris rebus coniunctione conſtitutae, talibus converſionibus et viciſſitudinibus obnoxiae ſunt, ut ſingularum vis et efficientia univerſarum conducat perfectioni et commoditati. Quo conſilio immenſi coeli ſidera ſuas aeternum ſibi ſcriptas ſequuntur leges, noſtra in illo loco poſita eſt tellus quo illam caloris frigorisve temperationem quae animantibus plantisque ſaluberrima ſit, ſolis lumine perculſa accipiat; quotidiana ſolis luce illuſtramur fovemusque; orbitam noſtra tellus deſcribit illam, in qua hyemem ver, aeſtatem autumnus excipiat; terrae quotidiana conſtat foecunditas; ſingulis regionibus ea fere propria ſunt, quibus ſui maxime indigeant incolae tutiſſimeque alantur; ſingula rerum genera aptiſſimo ſibi iunguntur nexu; ingens eſt terrarum, lapidum metallorumque varietas, plurima herbarum, plantarum, florum arborumque genera, generum formae, formarum pulchritudines rura exornant veſtiuntque atque innumeris modis animantium commodis inſerviunt; ſingulis animantium generibus ſua fere domicilia et pabula aſſignata, illud item naſcendi tempus, ille locus praefinitus, quo facillime ſibi paſtum et quaevis ad vitae ſuſtentationem et commoditatem utilia comparent; ſingula animalium genera

Digitized by Google

proprio quodam pabuli genere utuntur vagoque haud feruntur appetitu, quo certis naturae legibus ad naturales et ſalutares paſtus capeſſendos adigantur eoque minus ſibimet ipſis aliisve animantibus noceant; hominibus praeſertim ſingulis ac omnibus rerum omnium, quas terra fert, multiplex conceditur uſus; ſinguli a parentibus, ea vitae conditione et cum aliis coniuncti naſcuntur, educantur, inſtituuntur et ad hoc illud vitae genus eligendum adducuntur; ad quemcumque laborem etiam ſordidiſſimum et periculoſiſſimum humanae vero ſocietati perutilem, quin etiam neceſſarium, lubenter ſuſcipiendum ſemper homines parati ſunt, artes pulcherrimae et iucundiſſimae inveniuntur, excoluntur; litterarum ſtudia aluntur ſalutarique veri lumine plures in dies homines genteſque colluſtrantur, boni amore honeſtique laude corripiuntur feruntuṛque. Haec et alia ſummae ſapientiae ſpecimina omnia moderantis et cuique mortalium ea attribuentis, quae ad perficiendum eum plurimum faciant, Deo noſtro unice accepta referri debent, quippe qui eam rerum omnium connexionem, illum ordinem, illam viciſſitudinum ſeriem a principio conſtituerit, naturisque ſuis univerſis ac ſingulis ita conſuluerit et providerit, ut quod cuique rei tempori locoque aptiſſimum et convenientiſſimum iudicaverit, hoc rei eidem, tempori locoque non minus ſapienter

quam benefice tribuerit. cfr. Cic. de nat. deor. 2. 47.

3. Providentia Dei itaque in univerſi cernitur conſervatione et gubernatione. Προνοιαν Graeci vocant. Sap. 14, 3. cp. 17, 2. quam Petrus (1 ep. 5, 7.) ita circumloquitur: *πασαν την μεριμναν υμων επιρριψαντες επ' αυτον, οτι αυτῳ μελει περι ὑμων.* cfr. Cic. de nat. deor. 2, 65. „non univerſo generi hominum ſolum, ſed etiam ſingulis a diis immortalibus conſuli et *provideri* ſolet.“ Hebraei ſimpliciter habent: ראה Gen. 22, 8. נבט Pſ. 33, 12. 19. i. q. נשא פנים ſuſpicere Num 6, 26.

Quidam tres ad providentiam actus pertinere docent: *προγνωσιν* praeſcientiam, *προθεσιν* decretum, *διοικησιν* conſervationem et gubernationem. Alii prognoſin et protheſin fundamenta potius quam actus procurationis dici volunt. Haec *κατ' ἀνθρωπον* diſputari, quis eſt quin intelligat? Etenim ſunt iſta talia ut in hominem quidem cadant providentem, minime vero in Deum proprie nec *praeſcientem,* quippe qui nullo temporis intervallo nullave ſucceſſione ſed uno intellectus quaſi intuito omnia cognoſcat; nec decernentem, quippe in quo et ſcire et velle et facere unum ſit. At licebit tamen humano more iſta disjuncta cogitare, quae iuncta et unita in Deo, neſcimus quo modo, adſunt.

Digitized by Google

4. Atque iſtam omnium rerum procurationem iam antiquitas Deo diſerte tribuit Iob. 42, 2 ſq. „Iam te omnia poſſe, nihilque tibi arduum eſſe ſcio. Ecquis temeritate ſua divina obſcurat conſilia? animi mei imbecillitatem agnoſco. Illa enim (conſilia) obſtupeſco; non percepi.“ cfr. 1 Moſ. 50, 20. Iob. 38 et 39. Pſ. 91, 1 ſq. „qui ſub tutamine Maximi ſedet, atque ſub umbra potentiſſimi habitat, ille dicit Iehovae: tibi fido, refugium tu Deusque *es meus.*“ Eccleſ. 3, 14. „perſuadeo mihi: omnia, quae *Deus* creat, aeternum eſſe. Nil additur iis, nil demitur. Perficit enim Deus — ad gloriam ſuam.“

Ecquid gravius clariusque dici poteſt iis, quae Ieſus in hanc rem edocuit *vel* de laude terreſtrium bonorum exponens Matth. 6, 19. *vel* animos ſuis ad pericula faciens cp. 10, 29 ſq. eosque vel duriſſima fortuna agitatos ad religionem propagandam exhortans. Ipſe providentiae divinae vi roboratus perſecutoribus obviam it ſuis Matth. 26, 39. diemque ſupremum ſecuro et tranquillo obit animo Luc. 23, 46.

Εμβλεψατε (inquit Matth. 6, 26.) *εις τα πετεινα του ουρανου, οτι ὀυ σπειρουσιν ουδε θεριζουσιν ουδε συναγουσιν εις αποθηκας, και ὀ πατηρ ὑμων ὀ ουρανιος τρεφει αυτα. ουχ υμεις μαλλον διαφερετε ἀυτων; τις δε εξ υμων μεριμνων δυναται προσθειναι επι την ἡλικιαν ἀυτου πηχυν ἑνα; και περι ἑνδυματος τι μεριμνατε; καταμαθετε τα κρινα του αγρου πως αυξανει. ου κοπια ουδε νηθει. λεγω δε υμιν, οτι ουδε Σα-*

λομων εν παση τη δοξη αυτου περιεβαλετο ὡς εν τουτων. ει δε τον Χορτον του αγρου, σημερον οντα και αυριον εις κλιβανον βαλλομενον, ὁ θεος ουτως αμφιεννυσιν, ου πολλω μαλλον ὑμας, ολιγοπιςοι;

cp. 10, 30. υμων δε και αι τριχες της κεφαλης πασαι ηριθμημεναι εισι.

Act. 17, 26—28. εποιησε εξ ενος αιματος παν εθνος ανθρωπων κατοικειν επι παν το προσωπον της γης, ὁρισας προτεταγμενους καιρους και τας υροθεσιας της κατοικιας αυτων. ζητειν τον κυριον, ει αρα γε ψηλαφησειαν αυτον και ευροιεν. και τοι γε ου μακραν απο ενος ἑκαςου ημων υπαρχοντα. εν αυτω γαρ ζωμεν και κινουμεθα και εσμεν. ως και τινες των καθ' υμας ποιητων ειρηκασι: του γαρ και γενος εσμεν. γενος ουν ὑπαρχοντες του θεου etc. (i. q. Lucret. 11, 990. coeleſti ſumus omnes ſemine oriundi, omnibus idem ille pater eſt.)

1 Petr. 5, 7. πασαν την μεριμναν ὑμων επιρριψαντες επ' αυτον, οτι αυτω μελει περι υμων. cfr. Rom. 8, 28. οιδαμεν δε οτι τοις αγαπωσι τον θεον παντα συνεργει εις ἀγαθον τοις κατα προθασιν κλητοις ουσιν. Quam Dei providentiam nullo hominis acumine perveſtigari et comprehendi poſſe negat P. Rom. 11, 33—36. ὦ βαθος πλουτου και σοφιας και γνωσεως θεου. ὡς ανεξερευνητα τα κριματα αυτου και ανεξιχνιαςοι αι ὁδοι αυτου. τις γαρ ἐγνω νουν κυριου ἡ τις συμβουλος αυτου εγενετο; ἡ τις προεδωκεν αυτω και ανταποδοθησεται αυτω; οτι εξ αυτου και δι' αυτου και ἑις αυτον τα παντα. αυτω η δοξα εις τους αιωνας.

Digitized by Google

Et profecto haec eſt humanae imbecillitati conveniens oratio. Caput enim eſt rei ut Deo pie confidamus cuncta ſapienter moderanti neque in abdita rerum deſcendere audeamus.

Ceterum quatuor dictorum conſtituunt claſſes; *primam*, quae verbo tenus Deum laudant gubernatorem et procuratorem ut: Act. 17, 25. Matth. 6, 31. 1. Chron. 30, 12. Prov. 16, 4. *ſecundam*, quae rerum caſus ad Deum referunt tum praeteritos tum futuros Eſ. 43, 12. Gen. 50, 20. Amos 3, 6. Act. 4, 28. Pſ. 90. 1 Cor. 16, 7. *tertiam*, quae eſt in promiſſis et minis quarum nulla vis, niſi rectorem ſtatuas Deum Pſ. 91, 14. Exod. 20, 12. *quartam* in precibus virorum ſanctorum, quibus, ut vitae ſuae fata a Deo corriguntur, poſtulant Pſ. 22, 6. Matth. 26, 39. 1 Theſſ. 3, 16. Phil. 4, 4 ſq. Quibus adduntur loca, quae tempeſtatum viciſſitudines Pſ. 147, 8. Pſ. 148, 8. Ier. 5, 24. imperiorum converſiones Dan. 2, 21. Prov. 21, 1. Eſ. 10, 5 — 12. Ier. 18, 7. Luc. 1, 51. conſiliorum noſtrorum eventus Prov. 16, 1. 20. 24. Ier. 10, 23. ipſiusque ſortis, qua nihil magis fortuitum videtur, proiectum Prov. 16, 33. imperio divino ſubeſſe tradunt.

5. Quidquid igitur ſacrae litterae de Deo rebus creatis conſulente et providente proferunt, ad haec fere redit capita

a. Deo in univerſum et ſimpliciter adſcribunt et volenti aut nolenti ut res eſſe pergant,

et ſuppeditanti aut ſubtrahenti, per quae eſſe porro poſſint. Neque hoc dicentes *vel* mutuam rerum cohaerentiam mutuaque adminicula excludunt, *vel* definiunt, quid cauſae in rerum naturae obviae agant, quid Deus, ſed primam nominando cauſam, Deum nimirum continuum evergetam, defunguntur Hoſ. 2, 23. Pſ. 147. Matth. 5, 45. Act. 14, 17. cp. 17, 25 ſq.

Igitur *ουδεν ανευ του θεου* Matth. 10, 29. *του εργαζομενου* Io. 5, 17. ſic ut ille non ſolum, quam diu quis acturus eſſet vitam, *ſciverit* Pſ. 139, 16. ſed etiam vitae tempus *limitaverit*; utque nemo tam diu vivat, quam velit, ſed in ea re, praeter modum varia et difficili iudicatu pendeat a Deo, non excluſis cauſis naturalibus Iob. 14, 1—6. Act. 17. 26. Epheſ. 4, 6. Quod ideo et ita docetur, ne nos auſimus aut definire fines aut hanc rem temere diiudicare Phil. 1, 21. ſq. verum potius ut in re plane incerta cauti ſimus 1. Theſſ. 5, 10. 2 Cor. 5, 9. nec trepidemus circa male ſedulas conſervandi curas, perque eas tum reſpectum ad Deum obfuſcemus tum graviora graviorum rerum ſtudia Luc. 8, 14. *ὑπο μεριμνων και πλουτου και ἡδονων του βιου πορευομενοι συμπνιγονται και ου τελεσφορουσι.*

b. Divinae diſerte adſcribunt et intelligentiae et voluntatis efficientiae (*ἐνεργεια*) quod homines aliaeque res agunt, quod omnes hominum rerumque viciſſitudines, ſucceſſiones, ſta-

tus fiunt et variantur. Praeſciente ſcilicet Deo, conſcio, adiuvante, limitante, ſuis quidem conſiliis convenienter. Ergo

Nulla ſunt hominum incepta et conata, nulla eorumdem ſenſa et cogitata, nullae generis humani aetates, ſobolis propagatio, res externae, quas homines poſſident quaeve iis eveniunt, nullae civitates, civitatum converſiones per pacta, bella, migrationes gentium, inſtituta humana, tempeſtates anni cum annexis, telluris eventa; quin 1) Deo ſint praeſciente et conſciente, quippe qui omnia inſtituerit (Act. 17, 26. εποιησε. 1 Moſ. 1, ſq.); his, quos iam habent, deſtinaverit uſibus (Gen. 1, 14—19;) ita fore praedixerit Gen. 8, 22. quin 2) Deo ſint adiuvante; quippe qui auxilia promiſerit et exhibuerit, preces ad ſe fundendas, fiduciam in ſe ponendam eſſe iuſſerit, bonumque ſummum ſe maxime promovere, per ſanctitatem ſpoſponderit; quin 3) Deo ſint limitante, quod ad ſeriem, nempe, certa locorum temporumque ſpatia, modum etc. Iac. 4, 13. quin Deo ſint ad conſilium ſuum dirigente, quippe qui faciat, quod optamus, quando quidem petita noſtra cum eius congruant conſiliis 1 Io. 5, 14. και αυτη εςι ἡ παρρησια ἡν εχομεν προς αυτον, οτι εαν τι αιτωμεθα κατα το θελημα αυτου, ακουει ἡμων. cfr. Matth. 6, 10. cp. 11, 26. Eph. 1, 11. 1 Cor. 1, 21. Iac. 1, 18. Rom. 9, 16.

Digitized by Google

Tali modo, haud excluſis cauſis naturalibus, certis, intermediis, nec definitis limitibus, intra quos hae cauſae ſubſiſtant aut ubi Deus incipiat, Deus omnibus praeſens et operans primus ultimus tandem ὁ συνεργων και ενεργων τα παντα εν πασι — κατα την σοφιαν — 1 Cor. 12, 6.

c. Omnem rurſus hanc, graviſſimam laetiſſimamque doctrinam quam maxime facere volunt ad pietatem virtutemque; ut habeamus, quod Deum admiremur, ſubmiſſe veneremur, collaudemus, cum fiducia reſpiciamus, in auxilium vocemus, probe memores, proprie tantum probis et ſub conditione probitatis bona a Deo promitti; adeo ut quodnam

in mente Dei *conſilium* ſit *ſummum et ultimum? quo* iſta omnia fiant et *quorſum* conſpirent? non ſolum non vel difficile ſit exputatu vel omnem prorſus humani ingenii intelligentiam ſuperet, ut potius nihil clarius ſit perſpectu, graviusque ad pietatem, quam Deum ſanctum in rebus mundi gubernandis finem ſpectare bonorum eum, qui in probitate et beatitate quam maxime provehenda cernitur; idque nobis ſuaderi et imperari, ut virtutem ſequamur, eamque ſequentes fauſta quaevis a divina providentia exſpectemus. παντα συμφερει εις καλοκαγαθον.

Haec in univerſum tenere et ſanctitatis lege permotum credere, huc omnia ſua cogitata et conata dirigere boni eſt chriſtiani. Providentiae vero divinae modos ſcrutari, vias per-

Digitized by Google

veſtigare, infinitaeque ſapientiae conſilia et fines ad vivum reſecare et ſuis intelligendi anguſtiis velle complecti, non eſt modeſtiae ſuam quidem dignitatem at vero etiam imbecillitatem perſentiſcentis. Praeſtat igitur, cum Paulo, officiis ſemper operam dare, grato divina beneficia animo accipere, procurationis in univerſum divinae profunda conſilia, inextricabiles vias modosque inexplicabiles admirari, quam inconſulto ſe iactare, iudicium de rebus infinitae ſapientiae ſubditis ſibi arrogare, atque temere et praefracte decernere; quam intempeſtivam rimandi cupiditatem effrenata plerumque ſentiendi et vivendi licentia ſequi ſolet.

Scholion 1.

Cum tanta ſit numinis ſummi ad omnes res vis et poteſtas, ut ſine Deo nihil, eodem vero efficiente omnia eveniant et cum ſuis quidem conſiliis conſpirent, quaeri poteſt; *anne per gubernationem divinam hominis tollatur libertas;* rurſus, *ſi libertatem ſtare defenderis, anne per hanc procuratio divina impedietur?* Res facile ſic expeditur.

Deus omnium rerum eſt creator et talium, quatenus ut res per ſe ſeu οντωσ ουσαι ſpectantur. Naturarum igitur exiſtentia quatenus a Deo venit, earumdem eſt exiſtentia των οντως ουσων. Quod autem his naturis accidit, ut res

Digitized by Google

per formas temporis et ſpatii intueantur, non eſt creatio quaſi ſeparata, ſed ipſis naturis *οντως ουσαις* additus intuendi modus. Quidquid igitur per hunc intuendi modum naturae intuentur, quidquid per ſuas intelligendi formas intelligunt, quidquid per ſuas agendi vires agunt; uno verbo: quidquid ut naturae *οντως ουσαι* per ſuum ſibi additum characterem ſenſibilem edunt, agunt, efficiunt, hoc ex ipſis editum actum effectum ſpectari debet. Sunt autem haec ab naturis edita, acta, effecta propterea quod ſuis intuendi et intelligendi formis convenienter efficiuntur, viſa ſeu phaenomena. Ut igitur Deus nullorum viſorum (phaenomen*ων*) eſt creator ita etiam actionum humanarum creator dici nequit, quamquam naturarum agentium (numen*ων*) exiſtentiae ſit cauſa efficiens. Creatio igitur ad intelligibilem haud vero ad ſenſibilem naturarum pertinet exiſtentiam, hinc Deus actionum (characterem ſenſibilem referentium) non eſt cauſa movens, verum potius naturae, quatenus *οντως ουσαι*, ſibi ipſae ſunt motrices.

Deus igitur cum homines creavit *οντως οντας*, eo ipſo eos liberos, hoc eſt, tales produxit, qui ſibi ſoli et ipſi, reſpectu actionum ſuarum (*φαινομενων*), eſſent motores. Per Deum igitur libertas haud tollitur, niſi tum cum ipſi placuerit naturam mentium *οντως ουσων* tollere ipſam. Naturae vero mechaniſmus eamdem libertatem propterea tollere nequit, quod men-

Digitized by Google

tes *οντως ουσαι* huic mechaniſmo dominantur, eo utuntur et ipſi convenienter quidquid agunt, ipſae agunt.

Neque autem libertate hominum divina tollitur procuratio; quippe quae ad conſervandas tum *οντως ουσας* naturas tum omnes res, quae ipſis aut additae ſunt, aut extra easdem perennant, requiritur.

A principio omnia a Deo facta et conſtituta ſunt, eadem ad praeſinitos ſuos *terminos* et fines conſervantur, diriguntur; *ita tamen ut* libertas ſtet mentium *οντως ουσων* tam diu, quam easdem delere Deo viſum fuerit; quod numquam fore pie credimus.

Atque hoc cum S. S. effatis exacte conſentit; quippe quae Dei procurationem ſummis evehant laudibus, numquam tamen laudibus humanae naturae concreatis aliquid detrahant. Etenim quod humana conſilia multis impediuntur caſibus, quod mala conamina ſuis ſaepe deſtituuntur coeptis Iac. 4, 13. 15. Prov. 16, 1. quod multa proſunt, quae obeſſe prava voluit voluntas etc.; haec ad anguſtias redeunt naturis creatis ſcriptas, nec libertatem in ſe tollunt, et divinae ſapientiae moderatrici accepta ſunt referanda.

Quare qui libertatem negat eſſe, naturarum dignitati et creationis laudibus detrahere fruſtra conatur. Qui ſapientiae divinae negat eſſe moderamen, cetera, quae penes hominem non ſunt,

Digitized by Google

coeco committit mechaniſmo. Utrumque et ſana diſſuadet ratio et ſacri dehortantur ſcriptores.

Scholion. 2.

Neque *mala*, quae deprehenduntur, et *adverſitates*, quibus obnoxium eſt genus humanum, contra providentiam ſapienter moderantem loquuntur.

Primum enim ſine limitibus creare naturas qui Deus potuerit, non videmus. Ergo aut limitatas eſſe aut plane non eſſe oportuit naturas quasque finitas. Quare animi quique, qui hac ſub lege ſe exiſtere et eſſe potuiſſe intelligunt, ut eſſent limitibus certis circumſcripti, et de ſua gaudebunt natura et eiusdem anguſtias neceſſarias aequo gratoque ferent animo.

Deinde, cum adverſitates in unamquamque cadant naturam creatam, tales, quas ſibi ipſa haud contraxit, ſic feret, ut ad ſapientem Dei diſciplinam pertinere credat, iſtas autem, quas ſua malefacta ſequi intellexit, ſic ſpectabit, ut iſtis ſe ad meliorem frugi duci patiatur.

Et profecto plurimum homines in iis haerent, quae ſibi denegata intelligunt, ea coeco niſu praetereuntes, quae et multa et ſaluberrima ipſis quotidie efferuntur, quibus veſcuntur et ſuſtentantur.

Paupertas officiorum magiſtra. Felices, qui ſua bona norint.

Scholion 3.

Providentiam divinam theologis dividere placuit in *generalem*, *ſpecialem* et *ſpecialiſſimam*, in *ordinariam* porro et *miraculoſam*.

Et generalem quidem ad omnes omnino naturas pertinere docent, ſpeciali res humanas adminiſtrari, ſpecialiſſimam piis tantum accidere. Tota diviſio ut praeter ſacras S. ſuſcipitur ita ad rem vix pertinet; cum ſacri ſcriptores Deum iuſtis aeque ac iniuſtis conſulere et providere doceant.

Diviſio gubernationis in ordinatam et miraculoſam ad noſtras pertinet anguſtias; nec ſic capienda eſt, quaſi Deus periclitanti naturae ſubveniat; quippe quem ſacrae litterae iam a principio mundum ita feciſſe et conſtituiſſe declarent, ut ubique et ſemper ſuis obtemperetur conſiliis. Quare cum legimus, interdum eventus accidiſſe, humanis viribus naturaeque legibus acriores, eosdem ad univerſam numinis ſapientis procurationem recte referimus.

Providentiam igitur profitemur et veneramur univerſalem ad omnes aeque ac ſingulas pertinentem naturas Matth. 10, 29. ſq. id quod *vel* admirabilis omnium rerum, plantarum et animalium, indoles et ſtructura, vita et

Digitized by Google

paſtus *vel* arcta rerum connexio, continuus et concatenatus omnium ſtatus clare loquuntur; adeo ut neglectis individuis univerſa concidat ſalus; e tenuibus contra initiis gravia exiſtant.

Opiniones iſtas, quae, altera, fatum defendit, altera, Deum omnium actionum cauſam immediatam, cauſas vero, quas dicunt, ſecundas tantum occaſiones eſſe agendi aſſerit, non eſt, quod refutemus; cum iis tam ratio ſana, quae libertatem exhibet, quam ſacrae litterae obloquantur. Nos mediocritatem tenemus, quae eſt inter nimium et parum. *) Illud occaſionaliſtis (v. Malebranche de l' action de Dieu. Pariſ.); hoc fataliſtis placuit (auctore Carteſio per ſyſtema cauſarum oecaſionalium.)

Sectio. III.

De Prima telluris conſtitutione.

Deum huius univerſi et telluris quam habitamus, noſtrae auctorem et conditorem eſſe, ſacris inſtrumentis docemur Rom. 11, 36. et ratio ſana facili negotio concedit.

R 2

*) h. e. Deum auctorem mundi ſapientem rebus creatis ita providere ſtatuimus, ut ſtante naturarum intelligentium libertate et laude Numinis ſummi ſiet gloria et maieſtas; quod dicentes neque fatum defendimus, ſublato Deo, neque, poſito Deo, homines meras machinas eſſe et inſtrumenta aſſerimus.

Quidquid autem ex antiqua memoria de univerſi creatione ad nos perlatum eſt, Moſis debetur indiciis, alia enim quaecumque ſcripta his eſſe poſteriora nemo non ignorat.

Diſquirendum igitur primum eſt de vi et laudibus iſtorum monumentorum; de Moſis enim enarrantis conſilio, de fontibus, unde hauſerit, de modo, quo dixerit, varie diſceptatur.

1. Conſilium Moſis in adornanda ſua de creatione univerſi et telluris praeſertim noſtrae hiſtoria prae primis hoc fuiſſe, ut doctrinam de Deo, rerum omnium creatore, eoque uno et potentiſſimo quam altiſſime inculcaret, et tota orationis ſeries et frequentes ad profanarum gentium commenta alluſiones clariſſime teſtantur.

Scimus enim Orientem duo confinxiſſe rerum principia, lucis et tenebrorum, illius Oromasden, harum Arhimanium. (Plutarch, de Iſide et Oſiride p. 369. Zoroaſter vocavit τον μεν Ωρόμαζην, τον δε Αριμάνιον, aſſeruitque, τον μεν εοικεναι τῳ φωτι — τον δε σκοτει) Coluere alii divinitatis imagines e coelo petitas, alii a terra, e rebus marinis alii Exod. 20, 4. Deut. 4, 15 — 17.; delatus ad aſtra honor divinus; Aegyptiis crocodili ac boves ſacri habentur. Quos tam foedos populisque caros errores, quomodo opportunius Moſes refutare ac gentis ſuae ad eosdem proclivitatem reprimere potuit; quam docendo, lucem et tenebras, aëra, tellurem,

Digitized by Google

mare, ſidera omnia ac fluviatilia (תנינים crocodilos) et animalia ab uno eodemque numine ortum trahere; imo tantum abeſſe, ut cultus cauſa nobis conſtituta ſint, ut potius noſtris inſerviant commodis optatisque.

Hinc Moſen gentis ſuae, ex Aegypto eductae profaniſque adhuc moribus et opinionibus adhaereſcentis, neceſſitates et deſideria reſpexiſſe inter alia ſedula etiam et diducta operis quarto die perfecti narratio declarat. Etenim in inſtitutis, quibus definitum tempus deſcribitur v. c. Exod. 12. Lev. 15, 5—7. multum refert, ad certam quamdam normam temporis rationes exigere, ne vel per inſcitiam peccetur faſtorumque ordo turbetur, vel pro lubitu ſtata prorogentur contrahanturve tempora. Itaque non noviluniorum tantam annuorumque feſtorum decurſus, ſed dierum quoque ſingulorum termini tam diligenter deſcribuntur et ponuntur, ut quaenam praeciſa ſint noviluniorum annuorumque feſtorum, quae diei noctisque initia finesque, ſine erroris periculo intelligatur Gen. 1, 14.

Ex quo ſimul apparet, longiſſime a vero abeſſe, qui in Geneſeos initiis vel allegoricum ſermonem, vel theoriae phyſicae et mathematicae fundamenta inveniſſe ſibi videntur. Eſt enim et oratio facilis apertaque et conſilium dictionis gentis ſuae ingenio ita accommodatum, ut ultra iſtorum hominum infantiam haud aſſur-

gat, nihilque vel integumenti mythologici vel artis abſtruſioris in oratione ſimplici et populari quaerendum ſit. Quare qui ex Moſis enarratione geogonias vel cosmogonias efficere conantur, eorum ego magis ingenii acumen admiror quam ſequor.

2. Hoc de conſilio enarrationis primario. Quaeritur de eiusdem vi et origine.

Sunt quoque, qui narrationem in initiis Geneſeos exhibitam e philoſophe*matis poetici* genere eſſe exiſtiment. Et poematis quidem vim elucere dicunt ex frequenti proſopopoiias uſu; dictionibus opticis cp. 1, 16 et anthropomorphicis; ex numinis deliberatione, colloquio, operis approbatione, rerum creatarum per claſſes diviſione, perpetuo ad numinis vim recurſu ac orationis quadam abundantia. Accedere, dicunt, quod in antiquiſſimam generis humani memoriam hiſtoricae orationis ſimplicitas neutiquam cadat; quippe quae verborum requirat flexiones, delectum et converſiones tunc temporis haud uſitatas, imo priſcam aetatem imaginibus ſignisque ad vitam efformatis teneri; aliorum hoc gentium exemplis, v. c. Homeri, confirmari, interque Graecos Herodotum tum demum extitiſſe propria hiſtoriae laude inſignem, cum oratio popularis iam culta fidelique enarrationi accommodata fuerit.

Neque porro aliter intelligi poſſe, quomodo ante ſolem ſplendeſcentem iam plantae e terro

progerminent v. 11. et 14. quomodo dies nominentur, ante quam ſol telluri colluſtrandae adſtructus fuerit; imo fieri non potuiſſe ut ſol et luna et ſidera cuncta uni telluri minutiſſimae quidem univerſi particulae illuſtrandae unice inſervire dicerentur, niſi licentiae hoc poeticae dandum fuiſſet. Ipſam, porro, rerum exiſtentium diviſionem, creationis ſex dierum ſpatio finitionem inſequentemque creantis requiem artem ſpirare poeticam. Narrationem ɒ, 4, ſq. aliter non poſſe conciliari cum priori, quippe cum in *hac* tertio iam die olera plantaeque producantur 1, 9—13., in *illa* vero homo prius fiat, quam plantae, quae poſt demum in paradiſo progerminent. In *hac* terram fluctibus tenebrisque tegi cp. 1, 2. in illa denſos humores e ſicca ſurgere terra, guttulisque collectos cadere, terram humectaturos cp. 11, 5—6.

Narrationem Moſis poematis dictione abundare, procul dubio eſt, at propterea minime conſequens, ipſam enarrationem nihil eſſe poſſe niſi poëma. Imo ob id ipſum, quod illis priſcae aetatis temporibus nulla alia niſi quodammodo poetica in uſu fuit oratio, efficitur; etiam eos, qui facta enarrare conabantur, ſolemni uti debuiſſe dictionis genere. Ergo Moſes mere facta enarraturus poetico more potuit ſcribere. Accedit, quod et ſcriptor geneſeos nusquam ſe vel philoſophari vel poetico more effingere, diſerte declarat, et multa alia adſunt loca, qui-

bus creationis hiſtoriam proprie eſſe intelligendam, nude ponitur Exod. 20, 11. Ebr. 11, 1—3. Col. 1, 16.

Quod ad originem et fontes, unde Moſes ſuam hauſerit narrationem, probabilis eſt ſententia eorum, qui prima geneſeos capita fragmenta eſſe carminum, ope traditionis ex ſumma mundi antiquitate conſervatorum, exiſtimant, id quod Ieruſalem b. d. etiam ex ſublimiore, quae in prioribus Geneſeos capitibus cernitur, *dictionis* genere, carminis ſpeciem non obſcure referente, adſtruere conatus eſt. Quae quidem ſententia multos nacta eſt fautores.

Tenendum tamen eſt, carmen hiſtoricum veritatem continere hiſtoricam, verborum harmonia incluſam et propterea a poeſi allegorica valde eſſe remotum, carminaque hiſtorica a Moſe collecta et in ſuam rem translata auctores habere potuiſſe divino ſpiritu afflatos; quos? quam antiquos? non liquet. Nihil certe enunciatis ineſt a divinitatis laude alieni.

3. Quaeritur etiam, *quando* iſta, quae enarratur, vel univerſi creatio vel telluris huius conſtitutio, acciderit? Moſes nihil finit. Vox enim בראשית nihil aliud innuit, niſi: a principio omnia a Deo facta et conſtituta eſſe; cuius quidem principii tempus quo in puncto reponendum ſit, haud afferitur. Igitur ex Moſis narratione mundi nec aeterna nec tempore coepta creatio effici poteſt.

Digitized by Google

Moneo tamen, utrosque a vero abeſſe, et eos, qui mundum aliquando eſſe coepiſſe, et eos qui ab aeterno fuiſſe contendant. Etenim actus creandi intelligibilis eſt, et temporis anguſtiis haud includitur, imo et ipſa temporis locique notio in univerſum ſecuta demum eſt actum creationis. Quare creatio mundi neque in tempore, neque ante tempus vel finitum vel infinitum eſſe coepiſſe proprie dici poteſt, et mundus, quantus eſt, plenam divinae virtutis exhibet ſequelam, atque pro *noſtro* tantum cogitandi modo tam antiquus eſt cogitandus, quam diu efficax Dei virtus aliquid efficere, ſeu, extra ſe producere, hoc eſt, ad gloriam ſuam teſtandam agere potuit et voluit. Ecquis vero potentiae ſummae et voluntati ſanctiſſimae initia finesque ponere auſit?

Quamquam autem creatio haud fit in tempore ſed omnis temporis notiones antecedit, huiusque in ſe continet poſſibilitatis rationem, mundus tamen non hoc ſenſu aeternus dici poteſt, ut Deo aequiparetur, ſed reſpectu cauſalitatis a Deo dependens cogitari debet. Qui igitur mundum dicit aeternum, id facit, quia creatio in tempore fit nulla, quamquam, quod ad cauſalitatem, creans creato eſt ſuperior et prior. Qui vero mundum dicit aliquando eſſe coepiſſe, id facit, quia noſter cogitandi modus cauſam ab effectu non niſi per temporis ſpatium diſtantem percipere poteſt.

At omnis de creatione per temporis notam finienda diſputatio ad noſtras redit percipiendi anguſtias; in creationem ipſam neo initium cadit nec finis.

Quare quid modeſtius facturi ſimus quam ut cum ſacris litteris, Deum a principio omnia creaſſe, ſimpliciter teneamus.

4. Atque de creationis ipſius modo multum diſceptatur. Alii Moſen de creatione univerſi, coeli et terrae nominibus in *Sacris litteris* fere inſigniti, alii de formatione ſyſtematis noſtri ſolaris tantummodo loqui opinantur, alii de creatione ac formatione telluris noſtrae, alii denique de reſtitutione terrae aquorum fluctibus deſtructae.

Mihi dubium relinquitur nullum, Moſen de univerſi creatione loqui, ita tamen ut nihil de tempore et modo finiat, ſed uno enunciato, iſtud originem Deo debere ſuam, defunctus ad terrae efformationem deſcribendam pergat. Neque hic diſerte finit, utrum iſta, quam deſcribit, efformatio ad tellurem tunc primum creatam, an vero ad eius poſt varios iam praegreſſas converſiones inſtaurationem pertinuerit. Quare liberum nobis eſt, opinari, hanc noſtram terram tunc formatam eſſe ex ruinis alicuius ſuperioris, hanc rurſus ex ruinis prioris alius et ſ. p. Teneamus modo, noſtrum in hac re eſſe modeſte opinari, non praefracte decidere.

Digitized by Google

Hanc igitur, neque hac maiorem vim volumus habere, ſi nonnulla congeramus, ex quibus, Moſen de inſtauratione potius quam prima orbus noſtri creatione dicere, probabile fiat.

Noſtra quidem aetas, rerum naturalium indagatrix, perſpicax et erudita plurimum favet opinioni, quae anagenneſin ac metamorphoſin orbis noſtri inſignem deſcribi ponit, eumque poſt primam creationem vel alias iam praegreſſas converſiones poſtremum diluvio quodam dicunt vaſtatum eſſe, priorem formam veteresque incolas amiſiſſe, immerſum aquis, nebulis obſcurum, in novam formam reſtauratum novisque incolis donatum revixiſſe. Cui ſententiae aliquo modo adſtipulatur Pſ. 104, 6—9. primam orbis noſtri faciem depingens, ac 2 Petr. 3, 6. priorem mundum aquis deſtructum teſtans *). Suffragari his videntur viſcera terrae penetrata, in quibus monſtrorum marinorum fragmenta, montium, qui longiſſime iam a mari abſunt, mole ſepulta ſaepe reperiuntur; ferarum item particulae in iis regionibus, quae numquam eius modi belluas nec genuere nec alere etiam per climatis rationem potuere, altius effoſſae; montium radices conchis conſtratae inque lapides mutata animalia, quorum genus monſtroſum nullibi adhuc locorum repertum fuit. Quae omnia pro-

*) coll. tamen cp. 2, 5. ubi ὁ αρχαιος κοσμος idem q. ὁ τοτε κοσμος et tempora ante Noam ſignificari videntur.

Digitized by Google

fecto aliunde quam a diluvio, quod longe diffuſius funeſtiusque noachico ſaeviit, atque ab antiqui orbis ruderibus eſſe poſſe negant.

Neque tamen haec ultra opinionis poteſtatem afferi poſſunt. Etenim quis eſt, qui talia terrae inundationibus ac motibus, provinciis ſepultis aliis, aliis e fluctibus emerſis etc. evenire potuiſſe negét, praeſertim cum certum temporis ſpatium, intra quod ſaxa generentur, mollis condenſetur et indureſcat *terra*, atque cruſta lapidea ligna, conchae, oſſa et ſimilia obducantur, finire nequeamus.

Graviſſimum autem mihi hoc videtur argumentum, quod ſapientiam Numinis creatricem et motricem anguſtioribus praeter neceſſitatem circumſcribere terminis nefas ſit; quare cum ſacrae litterae rem in medio relinquant, credimus ſpatium efficientiae divinae ultra terminum nobis cognitum excedere.

Tenemus igitur, quod certum eſt, orbis huius, quam admiramur, formam, incolas resque omnes, quas capit, ante quinquaginta certe ſecula eſſe coepiſſe.

5. Sex dierum ſpatio, intra quod tellurem in eam formam et conditionem, qua nunc eſt, redactam eſſe Moſes enarrat, multi ſunt, qui offendantur; id quod alios movit, ut varias tentarent hypotheſes; alios ut hexaëmeri inventionem ingenio Moſes aliusve poetae ſtudio

tribuerent, narrationi decus et vitam ſabbatique legibus auctoritatem ac commendationem conciliaturi.

Non negamus, huic conſilio a Moſe inſuper ſatisfactum eſſe, ita tamen ut, utrum praeter hoc nihil in narrationis modo ſpectatum ſit, non liqueat. Etenim quis eſt, qui fieri potuiſſe neget, ut opus immenſum per dies diſtribueretur rerumque evolutio per ſucceſſionem indicatam exiſteret. Opiniones, altera G. Whiſtoni, qui per ſex integros annos, altera Carteſii, qui per ſex annorum millia creationis opus protrahere voluit, vix arridebunt, cum, quid ſit יוֹם, Moſes ipſe ſatis clare definiat. Diem enim tanto temporis ſpatio contineri dicit, quantum, ut terra circa axem ſuum volvatur, requiritur.

6. Suas cuique relinquentes opiniones et hypotheſes a Moſis enarratione haud recedimus, hexaëmerique rationem, neque tamen a poetae alicuius arbitrio ac licentia effictam ſed ab antiqua fortaſſe traditione ſuccedentem et de creationis modo vere exponentem tenemus; quia talis fuiſſe diſerte perhibetur.

Nebulis, aquis et atra nocte obvolutus orbis primum attenuatis nebulis eluxit, noctisque et diei viciſſitudines expertus eſt, oriente qui-

Digitized by Google

dem et occidente ſole, necdum tamen per nebulas conſtipatas conſpicuo: ſolvuntur congenita ac propria aëris virtute aquae ac quadam ex parte in nubes coguntur: editur concuſſa atque proiecta vehementi terrae motu inſula, maioris quidem, incerti tamen, ambitus, Aſiae in regionibus ſita: ab editioribus iam locis ſponte refugiunt aquae ac litoribus continentur (Pſ. 104, 5—9): excoquitur igni ſubterraneo, qui terrae motibus frequens erumpit, citiusque areſcit tellus, frequentiores nebulas exhalans (*Gen.* 2, 5.). Mox herbae ernicant e ſolo foecundo, progerminant arborum plantae, hortorum olim et ſylvarum ſeminaria. Interim diſpulſis humoribus coelum ſerenum radios ſolis ſplendentes oſtendit: lunae ſerena primam iam cernitur facies, ſtellarum paſſim promicant radii; integris terrae matris viribus herbae, dum maris aerisque cives quinto die producuntur, felicius citiusque ſuccreſcunt, animalium hominumque, quorum unum utriusque ſexus par creatum erat, alimenta.

Anguſtis primum limitibus circumſcripta tellus herbarum aviumque et animalium haud magnos greges aluit. Sed novis ſubinde aucta acceſſionibus latius protenditur; migrant e patria herbae, ſemina, aves, animalia; atque coelo, ſoloque et nutrimentis mutatis a priore degenerant indole, variisque inter ſe commix-

tionibus novas claſſes progenerant, unde innumerae rerum creatarum familiae hodie repeiuntur.

Iſta, quae una orationis ſerie ſupra protulimus, Moſes per partes ita extitiſſe narrat:

Primo die Deus effecit ut lumen exiſteret cum alta nocte terra antea premeretur Gen. 1, 2—5.

Die ſecundo aquis ſuperioribus ab inferioribus diſcretis aer extitit atque coeli et atmosphaerae forma (וקיע), ita conſtituta ut nubes vehere poſſet. Gen. 1, 6—8. Pſ. 104, 2—4.

Die tertio, aquae terram circumfluentes collectae ſunt in maria, flumina, fontes terraeque cavernas, et terra prominens omni plantarum genere veſtita eſt. Gen. 1, 9—13. Pſ. 33, 7. Pſ. 104, 5 ſq.

Die quarto Deus fecit, ut ſolis radii corpora coeleſtia terramque illuſtrarent, luna autem et reliquae ſtellae in formam ſuam et ordinem redigerentur. Gen. 1, 14—20.

Die quinto animalia aquatilia volatiliaque creata ſunt, quorum et varietas et ſtructura totaque indoles argumentum ſapientiae divinae exhibet praeſtantiſſimum. Gen. 1, 21—23. Pſ. 4, 25.

Die ſexto Deus creavit animalia terreſtria reliqua et manſueta et fera, atque homines, marem et feminam.

Omnia, quae Deus creavit, fuere bona, nec ille ullius mali eſt auctor. Gen. 1, 31. Iac. 1, 13. Ex quo ſimul apparet, Moſen ſuffragari iis, qui hunc mundum optimum eſſe pie credunt.

Digitized by Google

CAPUT. III.

DE GENERE HUMANO.

Sectio. I.

De

Ultima generis humani origine.

1. Origines generis humani ultimas e Moſe diſcimus (Gen. 1, 27. cp. 2, 7. 21—24.), qui Adam e terra procreatum fuiſſe refert. Gen. 2, 7. cfr. Eccl. 12, 7. 1 Cor. 15, 47. Poſt ex Adamo Evam veniſſe Gen. 2, 18 — 24. cfr. 1 Cor. 11, 8. adeo ut ab uno mare unaque femina totum genus humanum ſuam traxerit originem Act. 17, 26. Hominem primum et adultum oportuit creari et vita ſimul animoque ornari, utrumque hoc Moſes verbis ſine dubio hisce exprimere voluit: Deum homini vitam ſpiritu inflaſſe ſuo, adeo ut ſpiritus hominis per nares ductus ſignum eſſet vitae animique. cp. 2, 7.

Digitized by Google

Ceterum ipſa ſuadet oratio, Moſen per iſtam creati hominis hiſtoriam hoc in primis voluiſſe, ut mortales meminiſſent, „ſe ex pulvere efictos in pulverem redituros eſſe; arctiſſimamque inter maritum coniugemque intercedere neceſſitudinem, unamque alterius quaſi eſſe particulam.“

Deliberatione, quae cp. 1, 26. ante hominem creatum habita eſſe perhibetur, nemo offendetur, qui meminerit vatem ad homines humano more loqui poſſe. Etenim in Deum ipſum proprie nullus cadit deliberandi actus. Feminae vero origines e particula corporis Adami deſumtas fuiſſe et clare dicitur cp. 2, 21. 22. et Pauli diſputatione comprobatur 1 Cor. 11, 8. Nec tam maleſanis criminationibus obnoxia res ſit, cum tamen nemo, quo alio modo femina mari iuncta ſit, pro certo ſciet vel probabiliter proferre poſſit. Sunt hae res in facto poſitae, de quibus ſufficit tenere quid antiquitas tradiderit. Ad fidei capita vix pertinent; ut et illud, utrum Eva eodem cum Adamo die creata ſit, nec ne? Quod argumentis ſat probabilibus nuper negavit I. F. Grunerus in: *Practiſche Einleitung in die Rel.* § 228.

2. Quod ad tempus, hominem poſt tellurem demum bene praeparatam inſtructamque efformatum eſſe cp. 1, 27; quod autem ad locum, eum in amoeniſſimis Aſiae regionibus ſe-

dem fixiſſe (cp. 2, 8.) eique Evam ſociam adiunctam eſſe Moſes refert cp. 2, 21—22.

Primam autem hominis ſedem traditio vocat paradiſum (perſico vocabulo Eccl. 2, 5.) Moſes hortum (גן) regionem ſpatioſam et floribus arboribusque frugiferis amoeniſſimam laudat, cuius ſitus cp. 2, 9—14 deſcribitur primum a coeli plaga (בעדן מקדם) in Eden, orientem verſus, *deinde* a fluviorum confiniis, Phiſonis, quem Araxem plurimi eſſe volunt, Hiddekel ſeu Tigridis, Phrat ſeu Euphratis, *denique* incerti plane Gibon. Ex quibus vero ſimile fit, in Armeniae provincia primo loco conſtitutum vixiſſe hominem; quamquam in iisdem regionibus antiqui floris et amoenitatis veſtigia hodie fruſtra queruntur. Sunt tamen noſtro quoque tempore iſtae regiones in amoeniſſimis ac beatiſſimis, ſive coeli temperiem ſive telluris et regionis feracitatem fructuumque delicias ſpectes. Quare ſi quid ipſis iam deeſt, illud vel ſplendidiori concedendum dictioni vel, quod certius mihi videtur, temporum iniuria accidere potuit, belli enim barbarie provinciarum amoenitas et decus perit; quid? quod diluvium per eas regiones vehementius erumpens vix ulla priſtini ſplendoris veſtigia reliquerit.

3. Ut univerſum genus humanum Deus ab uno homine derivari et propagari voluit, proptereaque a principio unum marem unamque feminam creavit, ita primis parentibus vim pro-

creandi ſobolem, natura humana eminentem, indidit Gen. 1, 28. eamque adhuc conſervavit ita ut omnis poſteritas ex iſtis, quod ad corpus certe ſuum, originem repetierit ſuam. „Deus, Moſes inquit (cp. 1, 22. 28.) benedixit primis parentibus atque allocutus eſt eos: foecundi eſtote, atque maiorem in numerum aucti orbem implete. “

Quaenam autem ſit animae humanae origo, eſt quaeſtio diu multumque agitata. *Sacrae vero* litterae nihil finiunt, experientia nihil offert, ratio fruſtra argutatur. Ergo ſimpliciter cum S. S. tenendum, naturam hominis intelligibilem a Deo creatam eique indolem ſenſibilem additam eſſe. Eccleſiaſtes etiam cp. 12, 7. corpus (עפר) e terra oriundum, ſpiritum vero (רוח) a Deo venire, rediturum olim ad auctorem ſuum aſſerit.

Ceteras de animi origine opiniones ſuis relinquimus auctoribus; ſuis enim quemque patimur indulgere ideis. Qui cum *Platone* faciunt, mentes omnes vel ante mundi huius ſyſtema vel in principio eiusdem ſimul a Deo creatas fuiſſe, inque theſauro quodam communi contineri, poſt vero in corpora aut ſponte deſcendere aut, ut alii volunt, ut poenam peccatorum in ergaſtulo corporis luant, divinitus deiici crediderunt. Praeexiſtentianos hos dicunt. V. Herodot. L. 2. cp. 25. Theodoret in epit. decret. div. cp. 9.

His e chriſtianis ſuffragati ſunt Iuſtinus Mart. dial. c. Tryph. p. m. 111. et Origenes l. περι αρχων L. 2. *Alii* novas quotidie mentes a Deo creari, ſingulisque ſingulas indi corporibus opinantur. Creatiani dicuntur. Ab hac fere ſententia ſtat Ariſtoteles de gener. L. 2. c. 3. nec alieni ſunt Ambroſius et Hieronymus, qui produci quotidie animas et cum corporibus, quadrageſimo fere a conceptione die, coniungi ſuſpicantur. *Alii* ex propagine vel traduce (qua voce iam Tertullianus cp. 36. de anima utitur) ſive e corporibus oriri ſive ex anima ut corpus e corpore vel lumen de lumine naſci putant. Traduciani dicuntur. Ab hac fere ſententia ſtant Epicurus, qui ſemen dicit σωματος τε και ψυχης αποσπασμα; Tertullianus (de anima cp. 25,) Apollinaris et maxima pars orientalium, referente Hieronymo; quamquam Rupertus in Geneſin (ap. Lippomann. Caten. p. 57) afferat: animas non ex traduce fluere, omnium orthodoxorum una eſt ſententia. — Auguſtinus, qui librum de origine animae compoſuit, ignorantiam mavult profiteri, et „quatuor, inquit, de anima ſententiarum, utrum de propagine veniant, an in ſingulis quibusque naſcentibus novae fiant, an in corpora naſcentium iam alicubi exiſtentes mittantur divinitus, vel inde ſua ſponte labantur, nullam temere affirmare oportebit.“ v. Ep. 99. ad Exod. Idem L. 5. adv. Iulian. c. 3. propoſitis propaginis modis: „quid, ait,

horum ſit verum, libentius diſco quam dico, ne audeam docere, quod neſcio.“

Nos cum Luthero et ſapiente quoque doctore in re obſcura tutiſſimum judicamus το επεχειν.

Tenendum tamen eſt, neutrae intelligentis et ſub ethicis legibus viventis exiſtentiam absque ſui conſcientia ſeu apperceptione, quam dicunt, tam empirica quam transſcendentali, eſſe nullam. Quare ſi quidem mentes fuerint ante quam ſui ſibi conſciae exſtiterint, perinde eſt, ac ſi non fuiſſent. Porro corporis et omnis adeo naturae ſenſibilis notio mentis demum *ſequitur* exiſtentiam, ergo ab natura intelligente finita ſenſuum limites cogitando quidem, re ipſa vero non divellendi ſunt. Quaeſtio igitur haud eſſe poterit haec, quando corporibus mentes indantur, ſed quando mentes ſenſibili modo percipere, hoc eſt, qua mentes finitae (ſeu naturae intelligentes et morales ſenſuumque terminis adſtrictae) *eſſe* coeperint? Quae quidem quaeſtio cum de naturis ſit οντως ουσαις, *nobis* quidem omni ſenſu caret, quippe qui de rebus in ſenſum cadentibus unice iudicare poſſimus. Has cognoſcimus oriri et interire, in illud autem quod iis ſubeſt fundamentum ſtabile et perdurans, neque ortus cadit, neque interitus. Ergo, quando animi eſſe coeperint, ne quaeri quidem poteſt.

Digitized by Google

Sectio. II.

De
Natura generi humano concreata.

Cunctae animi humani facultates propriae et neceſſariae hae ſunt.

a. facultas cognoſcendi
b. ſenſus iucundi et iniucundi
c. facultas appetendi.

Facultas cognoſcendi cernitur tum in intellectu tum in facultate iudicandi tum in ratione. Intellectui reſpondet legalitas pertinetque ad naturam; facultati iudicandi reſpondet finalitas pertinetque ad artem; rationi reſpondet finis bonorum pertinetque ad libertatem. Ergo leges ſcribit facultati cognoſcendi intellectus, ſenſui iucundi et iniucundi facultas iudicandi, facultati appetendi denique ratio.

Quaevis autem facultas porro eſt vel ſuperior vel inferior, illa autonomia, haec heteronomia regitur. Ergo facultas quaeque, quatenus principia in ſe ipſa transſcendentaliter continet conſtitutiva, eſt ſuperior, quatenus alienis movetur trahiturve momentis, eſt inferior. Iam intellectus ex ſeſe ipſo transſcendentaliter emittit notiones et leges facultati cognoſcendi proprias et neceſſarias, ergo hactenus eſt ſuperior. Vis porro iudicandi, et a notionibus intellectus et a ſenſionibus empiricis independenter, ex ſeſe ipſa legem (finalitatis) emittit propriam et ſenſum

Digitized by Google

iucundi iniucundique neceſſario moventem et regentem; ergo hactenus eſt ſuperior. Ratio denique pura ex ſeſe ipſa leges emittit, easque proprias et neceſſarias facultati ſcribit appetendi, ergo haec hactenus, quatenus his legibus unice moveri regique poteſt et debet, eſt ſuperior.

Talem igitur Deus hominem creavit, perfecitque ut animo et corpore conſtans facultatibus cerneretur et ſuperioribus et *inferioribus*, atque cum autonomia tum *heteronomia* moveretur regereturve.

Ad cognoſcendi facultatem pertinent intellectus, iudicium et ratio; uno verbo, *πνευμα*, רוח; ad appetendi facultatem pertinet *ψυχη*, נפש. quae coeco cupidinum niſu fertur; ad ſenſus pertinet *σωμα*, per quod animus rerum externarum vi percellitur et afficitur vel iucunde vel iniucunde. 1 Theſſ. 5, 23. *και ολοκληρον υμων το πνευμα και η ψυχη και ὁ σωμα αμεμπτως — τηρηθειη*. cfr. Ebr. 4, 12. Deut. 6, 5. Tenendum tamen eſt, in ſacris litteris *ψυχην* ſaepe pro toto animo poni Matth. 10, 28.

Nolumus iam pluribus perſequi naturae humanae praeſtantiam. Quotus enim quisque eſt, quin corporis admiretur ſtructuram, ſenſuum ſedes et organa, membrorum compages, partium convenientiam; adeo ut totum aedificium plenum ſit et dignitatis et artis. Animi vero virtutes et dotes quam vel admirabiles ſunt in

ſe, vel ſapienter conſtitutae ad fines praefinitos, ut naturae bonis frui, arte excellere et finibus bonorum operari et poſſimus et iubeamur. Autonomia enim recti ſanctitati ſtudemus, ratione voluntati imperante; ſenſu pulchri iucundique afficimur, vi iudicandi colluſionem intellectus imaginationisque ſolutam emetiente; res naturae cognoſcimus intellectu leges univerſales praeeunte. Adeo ut cuncta ad *iucunditatem*, *culturam* et *honeſtatem* conſpirent, ſi modo bonis liberaliter conceſſis convenienter uti fruique velimus.

Concinit Eccleſiaſtes cp. 2, 24. 5, 17. 3, 12 ſq. 9, 9. 4, 9. qui quidem, cum, quam multa imperfecta relinquantur, ipſe dolens intellexiſſet, optimam tamen huius vitae uſuram dicit hanc: „frui bonis praeſentibus, animique tranquillitate; ſocietatem colere; ſtudere qualicumque labori et viribus uti ſuis, ne quis fruſtra vixiſſe videatur. cfr. Gen. 1, 26. Act. 17, 25 — 27. Quod quomodo convenientius aſſequamur, quam ſi ſenſibus et appetitionibus ſobrie regundis (non, quod humanae naturae oſores iactitant, radicitus exſtirpandis) honeſto cuique ſtudeamus?

Cui quidem ſcopo ut ſatis fieret, iam antiquitus conſuluit providitque ſapientia divina, primos parentes coniuges ſibi conſocians Gen. 2, 18. eosdem genus propagare iubens ſuum cp. 1, 26 — 27, agriculturamque exercere cp.

2, 5. 15. utque poſteritas una ſtirpe prognata ſanguinis et amicitiae vinculis conſociata finibus operaretur bonorum. cfr. Act. 17, 26.

Sectio. III.

De Prima primorum parentum conditione.

Iisdem eximiis animi facultatibus corporisque praeſtantia, quibus hominem etiamnum prae ceteris excellere videmus animantibus, primos quoque Deus ornavit parentes.

Atque cum nihil a Deo proficiſcatur turpe pravumque, tum primos praeſertim homines ita condidit perfecitque ut finibus ſibi praefinitis optime reſponderent.

Creavit autem primos parentes tales, qui numinis divini referrent imaginem Gen. 1, 26.; quod quid aliud eſt, quam hoc: Deum ipſis omnes eas conceſſiſſe facultates dotesque, quibus humana ad divinam poſſet deberetque accedere naturam?

Ergo per Deum homines primi ea perfectione excelluere, quae et naturae humanae et divinis conſiliis eſſet conſentanea.

Iam naturae humanae eſt ea conditio, divinorumque in genere humano conſiliorum ea ratio, ut homo ſentiat, cogitet, cupiat; ſentiendo et cogitando excolatur, excolendo ad hone-

Digitized by Google

ſtatem Deique reverentiam aſſurgat, aſſurgendo animi tranquillitate vitaeque commoditate fortunetur, adeoque aeternum progrediendo maiorem in dies capiat et ſanctitatis laudem et fortunae mercedem.

Talis homo eſſe et poteſt et debet; tales et primos Deus eſſe voluit parentes. Talesque ut per creatoris gratiam eſſe perſtareque poſſent, indolem ipſis impreſſit ſuperioribus animi facultatibus conſpicuam et perfecti numinis exemplar referentem; additis inſuper iis, quibus natura limitata ceteroquin exornari potuit.

1. Conceſſit igitur Deus primis parentibus *primum* naturam animi dotibus opportune inſtructam; facultate quidem cognoſcendi et iudicandi; qua, quid verum falſumve eſſet, quid rectum pravumve, poſſent percipere.

Neque tamen credendum eſt, intelligentiam primorum hominum tam amplam perſpicacemque fuiſſe, ut uno temporis puncto omnia eaque clariſſime percepta comprehenderint. Id quod per rerum naturam fieri nec potuit, nec neceſſe fuit. Cogitandi initia et pericula erant facienda. Legimus etiam iſtos incrementa cepiſſe, a Deo ipſo inſtitutos, v. c. quid edere poſſent, quid minus; quod in matrimonio vivendum eſſet etc. Gen. 1, 28—29. cp. 2, 15—20. Quare iudicamus, eos a principio quidem recte cogitandi et iudicandi facultate fuiſſe ornatos, at poſt etiam exercitatione et uſu, adiuvante

Deo, in augenda rerum ſcientia progreſſus feciſſe, eosque fortaſſe celeriores, quod ipſis ſtatim adultis cum infantiae infirmitate et tarditate tantopere pugnandum non fuit.

Idem Deus, qui primis hominibus cogitandi et cognoſcendi largitus eſt facultatem, ipſis quoque *vim* ſine dubio indidit *loquendi*, hoc eſt, ſenſa et cogitata voce articulata exprimendi.

Neque tamen neceſſe eſt, ipſis Deum credamus ſtatim iam cum diſtincte et accurate cogitandi, tum perfecte dicendi dexteritatem concreaſſe. Satis fuit, ipſis vires et facultates concendere atque occaſionem exercitandae tum mentis tum dictionis ſuppeditare, quod factum eſſe legimus Gen. 2, 19. 23. Ita uſu ipſo virium excolendarum initia facta ſunt; homoque ad cogitandum et dicendum natus didicit cogitare et dicere. Quod eo citius et perfectius potuit aſſequi, quo minus infantiae periculis et difficultatibus tenebatur, perfectaque ſtatim ad loquendum organa acceperat, mente vigebat et ad ſenſa cogitataque voce exprimenda propendebat.

Copioſae igitur de primaevae linguae originibus, utrum a Deo, an vero uſu efformata ſit, mihi quidem valde ſuperfluae eſſe videntur. Deus conceſſit facultates, quae uſu cultae et efformatae et quanta fuerit hominis primi ſcientia, utrum noſtrâ maior, nec ne? Quid quaeſo

Digitized by Google

ipſi ſcientiae et artes, quarum excolendarum nec occaſio, nec neceſſitas, nec uſus fuit? Sua ipſi ſuffecit tenuitas et curta ſupellex. Homo fuit, errare et labi potuit, et vero etiam erravit et lapſus eſt; id quod ſatis luculenter docet, Deum iam ab initio noluiſſe, ut homo primus humanas ſuperaret anguſtias.

2. *Alterum*, quo Deus generis humani protoplaſtos iam ornavit, cernitur in facultate appetendi ſeu *voluntate*; neque ea ſolum, quae ſenſuum neceſſitatibus fertur, coeca et bruta, ſed libera et ſanctitatis lege regunda. Atque credibilis eſt et per creatoris ſanctitatem ſtat ſententia, Deum primos parentes ſic conſtituiſſe, ut, ante quam viribus abuterentur ſuis, prorſus *innocentes* 2 Cor. 11, 13. et ſuopte niſu in bonum quodvis proni conſpicerentur, atque propterea *bonitate animi* et integritate fruerentur. Quam vel innocentiam vel animi bonitatem, originetenus, nulla prave factorum et malae concupiſcentiae labe inquinatam, *originariam* placuit appellari *iuſtitiam* et *ſanctitatem*. Gen. 1, 26. 31. (Eccl. 7, 30. „Deus recte cum homine agit“ h. e. nihil in gubernatione divina eſt vitioſum nihil mancum. — vix ad primorum parentum primam pertinet indolem) Eph. 4, 24. eſt de conformando ad diſciplinam chriſtianam animo, reiectis vitae anteactae cupiditatibus vitioſis et ſceleratis. cfr. Col. 3, 10.

Digitized by Google

Quamquam autem de prima parentum laude morali, iuſtitia atque ſanctitate, nimis magnifice ſtatuere haud licet, cum iuſtitiae, pariter ac ſanctitatis laus quae eſt animi et vitae cum legibus ethicis convenientia, ſenſim ſenſimque acquiratur, atque haud adeo magnam iſtam fuiſſe primorum parentum laudem et dexteritatem, vel ex eo patet, quod legibus praeſcriptis haud diu ſteterunt; hoc tamen certum eſt, et per creatoris ſtat ſapientiam; originetenus *convenientem in primis parentibus conſtitutam fuiſſe facultatum ſuperiorum et inferiorum conſpirationem et harmoniam*, ſic ut naturae neceſſitate in vitia neutiquam raperentur; verum potius voluntas ad bonum quodvis propenderet malumque averſaretur, eorumque animus hactenus ab initio et iuſtus et ſanctus ſeu inſons eſſet.

3. Tertium, quo viguere, naturae commodo, fuit corporis eximia ſanitas roburque florens, adeo ut per ſtructurae laudem a morborum cruciatu mortisque periculo tam diu immunes eſſent, quam indolem bonam vitiis admiſſis deſtruere haud coeperint. Gen. 2, 16.17. cp. 3, 3. Rom. 5, 12. cp. 6, 23. Atque hoc propterea ita fuiſſe declarant ſacri ſcriptores, quod lapſum tandem mortis poena ſecuta ſit, generisque humani reſtauratoris hae fuerint partes ut mortem aboleret. 1 Cor. 15, adeo ut eadem, quae per animi vitioſitatem irrepſerit mors,

Digitized by Google

moribus corrigendis rurſus expellatur. Cui narrationi moſaicae, quis eſt, quin videat, quam ſapienter apoſtoli vim addiderint moralem; quo vehementius ad vitae faceret ſanctimoniam?

De corporis protoplaſtorum immortalitate verboſius ſemper diſputatum eſt. Et cogitari quidem poteſt, craſſiorem corporis materiam etiam ſine doloris et mortis periculo ſenſuque potuiſſe attenuari atque corpuſculum inde naſci ſubtilius et pneumaticon 1 Cor. 15, 51. Sunt quoque qui ad vigorem corporis ſervandum facere potuiſſe ſuſpicentur arborem vitalem (חיים, עץ.) Gen. 2, 9. cp. 3, 22. Haec iis certe opponi poſſunt, qui primorum parentum immortalitatem propterea negant, quod a materia terrena orbes ſublimiores capi non poſſint; nemo enim, inquiunt, facile dixerit, Deum perpetuam hominibus in his terris ſedem aſſignare voluiſſe; ex quo demum conſequens et neceſſarium eſſe volunt, ut primi etiam homines depoſitis huius corporis exuviis inter homines aliquando vivere deſierint. At omnis haec quaeſtio eſt problematica, nec certi quid effici poteſt, quare aut ſimpliciter quae narrantur, tenenda ſunt, aut infinitus diſceptationis parum frugiferae campus aperitur. Nos quidem corporis a Deo primum creati, optime ſine dubio conditi, ſanitate aeque ab robore florentis indolem ex noſtro involucro multis modis vitiato, morbis cruciatibus innumeriſque poſt hominum memoriam pe-

Digitized by Google

riculis obnoxio aeſtimare vix poſſumus. Quid factum ſit primis iam hominibus, quid etiamnum fiat, ſcimus; quid futurum fuiſſet, ſi nemo mortalium erraſſet, peccaſſet, corporis labem contraxiſſet; hoc intra problematum ſubſiſtere iudicamus terminos, intra quos ſuo quemque patimur ingenio luxuriari. Modo teneat, ſe luxuriari.

Deus cum ſciret, homines etiam primos ſuis non ſtaturos eſſe intemeratis dotibus, eos certo tales formavit, ut lapſi etiam finibus ſufficerent ſuis. Quare iis reliqua fuiſſe legimus animi corporisque dona, quibus ad vitam ſuſtentandam animum colendum et virtutem exercendam uterentur.

* * *

Iam ſtatus primorum parentum aliquis cogitari poteſt, in quo omnino tales fuerint, quales e manibus quaſi creatoris prodierint; facultatibus animi corporisque praediti originetenus conceſſis, recto iis et ſimplici modo utentes, naturae concreatae convenienter ſentientes, cognoſcentes, cupientes, aequabili facultatum ſibi nexarum ſtante ratione ac modo; atque in hoc ſtatu eos aliquamdiu fuiſſe memorant ſacri ſcriptores; quem *ſtatum ſimplicitatis*, incorrupti animi vitaeque candoris, *της απλυτητοσ* 2 Cor. 11, 3., placet appellare. Neque hic quaeri debet,

quanta ſenſerint, cognoverint, cupiverint, modo quod ſenſere, cognovere, appetivere, legibus naturae ingeniique fuerit conveniens; adeo ut nullo nondum dolore affecti, nihil falſi cognoſcentes nihil mali appetentes fuerint. Tali modo et innocentes et felices eſſe potuere; qui fuiſſe etiam perhibentur.

Neque tamen hanc primorum parentum vitam Deus voluit eſſe otioſam ac inertem; ſed conſiliis convenientem et conducentem moralibus, quippe quae virium flagitent exercitationem et culturam. Quam ob rem Deus iis

a. eximias ingenii conceſſit facultates ſentiendi, appetendi, cognoſcendi, et

c. ampliſſimum virium exercendarum et colendarum aperuit campum.

Hoc enim conſilio factum eſt, ut *hominem* Deus conſtituerit *telluris noſtrae dominum*, eiusque imperio et uſurae omnia cetera ſubiecerit et animantia et quidquid terra fovet alitque. Quam tantam S. S. hominis aſſerit eſſe laudem ut hac in primis domini omnium maximi, id eſt, Dei referat imaginem. Gen. 1, 26 ſq. 2, 19. ſq. 1 Cor. 9, 7. Pſ. 8, 5. ſq.

Quomodo Adamus in animantia imperium potuerit exercere ſuum, multi iucunde fabulantur. Volunt enim ea ad nutum illius fuiſſe paratiſſima, admirabilem laudant leonum tigridum-

Digitized by Google

que manſuetudinem etc. Stat ſua cuique natura, quam animalibus *talem impreſſit* creator ut beſtiae cicures obſequio, ferae timore ferantur.

Quem autem in finem hominis in animalia poteſtas et ius vindicari queat, vix ex S. S. efficitur. Ex Gen. enim 1, 29. et 30. vitae ius in animantia conceſſum eſſe, diligenter legenti vix apparebit, quamvis nihil homini a feris timendum ſit.

Ergo, quos excellentioribus Deus ornaverat dotibus, eosdem iis uti voluit, *conſiliis* quidem ſuis convenienter.

Quod ut facerent, neque ſimplicitatis primae laudem perderent, eos Deus multis modis monuiſſe et procuraſſe dicitur, ut eſſe rerum diſcrimina, aliud eſſe fugiendum, aliud appetendum, mature diſcerent. Quo conſilio Deus iis plantam aliquam, exempli loco, propoſuit, qua ſibi nocitura abſtinerent. Unde illi plantae nomen עצ רעת טוב ורע inditum Gen. 2, 7.

Quibus praeceptis quam diu obſecuturi fuerint, tam diu eos primitiva laude et felicitate *) fruituros eſſe promiſſum erat.

*) Erant nimirum primi parentes a Deo originetenus ornati recta ſentiendi, cognoſcendi et appetendi facultate, virium animi eximia ſecum conſenſione, corporis ſanitate, robore et immortalitate, pleno in omnes terrae res et beſtias imperio, domicilio omnibus rebus abundantiſſimo et amoeniſſimo, vitae omnino conditione fortunata et animi tranquillitate — quam quidem conditionem tam diu ipſis propriam fore, quam ſua illam non perdiderint culpa, ſpes erat et promiſſio

At vero accidit primis parentibus, quod omnibus poſtea pariter mortalibus, ut bonis munificenter conceſſis haud contenti altiora capeſſerent, inque vetitum nitentes priſtinae ſimplicitatis laudem perderent. Quod quomodo evenerit, iam videamus.

Sectio. IIII.

De Primo primorum parentum peccato.

Praeclaris Deus primos parentes ornaverat animi corporisque dotibus, eximia vigebant ſentiendi, appetendi et cognoſcendi facultate, facultatum inter ſe harmonia et convenientia, fortunata fruebantur ſede amplaque virium exercendarum quaſi palaeſtra. Moniti praeterea et opportune inſtituti erant, ut bonum a malo verum a falſo diſcernere poſſent.

Quamquam igitur hoc in propoſitis erat, ut per vitae conditionem ſemper fortunatam vires acquirerent, colerentur et virtutis laude altius altiusque eſurgerent, hoc tamen Deus ſic eventurum eſſe voluit, ut *libere agentes* in moribus animique laudibus proficerent.

Enim vero morales condiderat naturas, abſoluta faciendi et appetendi libertate praeditas, autonomia non minus quam autocratia conſpicuas.

Digitized by Google

Conceſſum itaque ipſis et liberum fuit, ut bonis largiter datis libere et ſolute uterentur. Neque enim per ſanctitatis legem naturae cuique intelligenti altius impreſſam fieri poteſt, ut aliena et irreſiſtibili vi ad obſequium et mentem ſemper ſanam trahantur. Quare iam per ipſos ſtetit primos parentes, quem in finem et quo modo conſiliis ſibi praefinitis ſatisfacturi eſſent.

Ipſos autem propoſitis haud ſtetiſſe *divinis*, ſuisque voluptatibus perperam indulſiſſe, hiſtoria ſacra refert. Res autem hoc eveniſſe modo memoratur.

Cum non ita multo poſt tellurem, quam habitamus, conditam homines primi in amoeniſſima eius parte conſtituti erant, tentaminis cauſa Deus duas propoſuit arbores, alteram *vitae*, *cognitionis* alteram. De hac una ſumere et edere per mortis poenam interdictum fuit. Accidit Evae ambulanti *ſerpens* de interdicto multa commemorans dicensque: arborem cognitionis nomen inde trahere ſuum, quod qui de ea veſcantur, bonum a malo ſecernere diſcant, intelligentiores ſimul et Deo ſimiliores evadant. Iam et ipſa frugum ſpecies alliciebat, qua, ut ſerpentis inſimulatione, deluſa ſumſit et edit; maritoque, ut ipſe idem faceret, perſuaſit. Iam quid fecerint intelligentes ſe nudos eſſe poenituit, Deumque mali conſcientia caſtigati effugere conati ſunt. Ille vero die adveſperaſcente iſtos

Digitized by Google

acciens de ſcelere commiſſo accuſat. Mas culpam in coniugem, haec in ſerpentem amolitur. Quos iuſta Deus cunctos poena afficit hac: *ut* ſerpens per humum pectore reptet, infeſtandus ſemper ab homine et pede quatiendus, cuius calcem ille leviter laedere tantummodo valeat; *ut* marita doloribus ſaepe repetitis affecta partum edat, maritoque ſubiecta ſit ſuo; ut maritus multo cum ſudore agrum colat, domui provideat, agri arborumque frugibus veſcatur et moriatur. Qua ſententia prolata Deus eos e paradiſo eiecit, a cherubis poſt cuſtodito, ne de arbore vitali ſumentes in priorem reſtituerentur conditionem. Gen. 3, 1—7.

1. Haec narratio utique eſt didactica, et modum innuit, quo peccatum ortum eſt et oriri ſolet. Ita enim quotidie accidit mortalibus, ut e bonis ſenſim ad mala conſilia et prave facta deducantur.

Neque enim in iſta narratione videndum eſt, quid noſtrae aetatis ingenio arrideat, ſed quid ex genuina auctores enarrantis ſententia ſtatuendum ſit, quid minus. Et dictionis quidem ſimplicitas ab allegoria alieniſſima eſſe videtur; non enim, quid de lapſu vel animo cogitare et philoſophari vel ſub veri ſpecie adumbrare liceat, ſed quid vere acciderit, memoriae traditur.

Quamquam vero oratio magis didactica eſt et hiſtorica quam allegorica et poetica, hoc ta-

Digitized by Google

men non impedit, quo minus deſcriptioni vita quaedam et pictura addita ſit, coloremque habeat eum, quo perſonae agentes, loquentes et deliberantes inducuntur. Equidem omnino iis non ſuffragor, qui iſta antiquitatis monumenta, ſive Moſis ſive alius cuiusdam ſint auctoris, ad certum dictionis et diſciplinae genus revocare conantur; quam quidem artis certae circumſcriptionem generis humani infantia nullo modo admittit. Eſt oratio ſimplex et ſequitur vitam, enarrat, pingit, canit.

2. Vehementius adhuc diſputant, quid fuerit ſerpens (נחש). Sacrae litterae nihil diſerte finiunt. Hoc tamen patet beſtiolam, quam novimus, in externa fuiſſe cauſa, et anſam Evae praebuiſſe alliciendae et ſeducendae. Nec minus clarum eſt, verum hic innui et naturalem ſerpentem, etenim totum illius genus poſt per humum reptaturum dicitur. Loquela ſerpentis, aſtutia et deludendi conamina neminem offendent, qui priſcam orationis ſimplicitatem vita ſemper et colore abundare meminerit; et potuit omnino voce articulata vehementius ineſcari beſtiola oculis micantibus circumſpiciens, fructus edens ſuaves, incolumis et ſoſpes.

3. Iam etiam poſt ſerpentem cauſam aliquam opinantur latere remotiorem, primis parentibus invidam et malevolam; malum genium quemdam et diabolum nominatim, patrem mendacii πατερα ψευδεος; ἀνθρωποκτονον απ' αρχης;

Io. 8, 44. ἀπ' ἀρχῆς ἁμαρτανοντα 1 Io. 3, 8.; omnis malitiae ſatorem ἐχθρον τον σπειραντα τα ζιζανια Matth. 13, 39. Et Hevam quidem Paulus deceptam eſſe dicit a ſerpente atque Satanam ſimulatione uſum eſſe in decipiendis hominibus 2 Cor. 11, 3. cfr. 14. — At vero, ſi, quod res eſt, fateri volumus, nullibi in ſacris litteris diſerte oſtenditur, Satanam quaſi in inſidiis latuiſſe et vim ſuam per ſerpentem exſeruiſſe. Paulus 2 Cor. 11, 3. verba Moſis ipſa repetit, Ieſus Io. 8, 44. in univerſum dicit, diabolum in odio adverſus homines ſic ſemper et ubique ſui ſimilem fuiſſe; ut ipſe ſemper peccaverit et ſcelera patraverit 1 Io. 3, 8. Iudaeos autem poſt exilium babylonicum diabolum intellexiſſe, diſcitur e Sap. Sal. 2, 24. cfr. cp. 1, 13. cp. 2, 13. et e nomine δρακοντος ἀρχαιου Apoc. 12, 9.

4. At res omnino eſt problematica et ſuis impeditur difficultatibus, quomodocumque explicueris. Quare non tam theoreticis inhaerendum eſt quaeſtionibus quam practicis, quae nullo negotio efficiuntur et hae ſunt:

Parentes primos in prima, qua nati erant, ſimplicitate haud perſtitiſſe, facultatum animi concreatam harmoniam, ſenſuum libidinibus praepondere ſuo vincentibus, ſuſtuliſſe, peccaſſe, deteriores factos eſſe, poenas dediſſe et communem mortalium ſortem tuliſſe; id quod nos moveat ut ſimplicitati reſtaurandae ſtudeamus,

Digitized by Google

facultatum excolendarum conſpirationem ſervemus et naturae convenienter viventes animi laude adaugeamus, in diesque ut Deo cariores ita fortunatiores exiſtamus. — Poſthabita, quam Deo debemus, obedientia, ſcelerum irrupit cohors et generis humani miſeria, obedientia eadem repetita et praeſtita integritas vitae et ſalus reſtituenda ſit; pro παρακοη reviviſcat ὑπακοη monente et exemplum praeferente Ieſu Chriſto. Rom. 5, 16 ſq.

5. Prioris ſimplicitatis (απλοτητος) iactura facta inceſſit vitioſitas (φϑορα) tum animi tum corporis, adaucta nimirum libidinum vehementia et dominatione Gen. 3, 7. accedentibus etiam vitae incommodis. — Tempeſtatum crebriorum pavoribus e regione fertili in loca minus culta fugati durioris laboris neceſſitatem, victum viliorem, tellure bona ſua negante, experiebantur. Cuius rei poenitentia animum ſaepiſſime occupans odium adverſus ſerpentem, blanditiis ſuis olim allicientem, peperit, movitque ut homines ſerpentem eiusque prolem exoſi conterere conarentur, bene memores, illam ictu ſuo laeſiſſe et laeſuram eſſe. Id quod, ni fallor, in quaevis ad male facta irritamenta eleganter quadrat; quippe numquam non ineſcentur et laedant. Homo vero, poſtquam intempeſtive ſe ſeduci paſſus eſt, licet ſua tractus ſit voluptate, cauſam tamen a ſe amoliens rebus

Digitized by Google

mediis iraſcitur et ſerpente quaſi contrito ſibi mederi opinatur.

* * *

Peccato igitur admiſſo *divinae,* quam referebant, *imaginis* laudem imminuerunt et hactenus perdiderunt, quatenus prioris tam intelligentiae quam voluntatis ſimplicitas periit, virium facultatumque harmonia praeſtabilita ceſſavit, mali contra conſcientia et poenarum metus animum agitavit, legibusque divinis ſaepius poſthabitis convenientes adverſitates perferendae fuere.

Ante omnia vero notandum eſt, primos quoque parentes, cum peccaverint, ſuo uſos eſſe *arbitrio, libere* igitur egiſſe et deliquiſſe. Hinc rei fuere et iuſtas dedere poenas.

Eorum igitur peccata ſic ad nos pertinent, itaque nobis imputantur, ut ipſis ſimiles ſimile quid peccamus et delinquimus. Rom. 5, 12—19. cp. 7, 23. Ezech. 18, 20. Ut igitur propter Adami peccatum damnamur, quando quidem idem, quod ille, peccamus, ſic propter Chriſti meritum ſervamur, quando quidem idem, quod ille, bene facimus, huiusque voce et exemplo ad obedientiam nos reduci patimur. Tali modo Dei ſtat iuſtitia et caritas.

Quidquid memoriae proditum eſt, hoc nobis eſt ſcriptum commonefaciendis, erudiendis, ſervandis, teſte et interprete Paulo. Rom. 15, 4.

Quodſi non tam curioſis placet inhaerere quaeſtionibus, quam liquidis et ſimplicibus ſtudere narrationibus, adhortationibus et praeceptis, in promptu eſt, largiſſimam animo contuenti et perpendenti praeberi materiam. Quotus enim quisque eſt, quin ſentiat, Deum generis humani proponi creatorem perfectiſſimum, primitias generis humani a Deo productas eſſe incorruptas et bonas, hominem libere conſtitutum rebus quidem multis affici, allici et percelli, ſua tamen culpa deliquiſſe et delinquere; miſeriam ex prave factis conſequentem a Deo ſic iniungi ut facinorum nos poeniteat noſtrorum, ut caritatis divinae reparandae enaſcatur deſiderium, ut gratiam oblatam acceptemus etc.

Sectio. V.

De Generis humani imperfectione morali, miſeria inde nexa et auxilii neceſſitate.

Primos iam parentes ab ea naturae ſimplicitate, facultatum harmonia, recta ſentiendi, intelligendi et appetendi indole ſcopoque praefinito deſciviſſe, indeque communem in univer-

Digitized by Google

ſum genus humanum labem transmiſſam et propagatam eſſe, ſacra ſcriptura diſerte memorat.

Quod tamen non ſic intelligendum eſt, quaſi omnis naturae humanae laus ita perierit, ut vel ipſa recte ſentiendi, intelligendi et appetendi facultas penitus exſtirpata et deleta nihilque reliquum ſit, quo ad divinae imaginis laudem recuperandam adſpirare queamus.

Imo eadem nobis tradita et reliqua ſunt naturae ſtamina et vires tam animi quam corporis, quae primis conceſſae fuere parentibus, eaedem facultates, quibus noſtri ingenii laus magis magisque evehi et ad divinam naturam propius accedere poſſimus. Et nos quoque a Deo oriundi eiusque progenies ſumus, orbis terrarum domini conſtituti, vices domini maximi gerentes. Act. 17, 28 — 29. „γενος υπαρχοντες του θεου. — εν αυτω γαρ ζωμεν, και κινουμεθα και ἐσμεν.“ Adeo ut naturam inſpicientes noſtram non poſſimus non admirari animi indolem viresque congenitas, fines praefinitos et clavo quaſi trabali infixos, legem ſanctitatis, voluntatem Dei in nobis quotidie et ubique adnunciantem, ſua nos maieſtate monentem, regentem, punientem, corporis excellentem fabricam, aptitudinem, agilitatem et cetera.

Praeclara haec ſunt et numquam non pio gratoque animo accipienda, Deo accepta referenda, ſobrie uſurpanda et multis modis in

Digitized by Google

uſum vitamque et laudem transferenda. „παν κτισμα θεου ἀγαθον" 1 Tim. 4, 4.

At quamvis grandia et gravia iſta ſint, nos tamen ſuperbire haud patiuntur et nobis omnino ſolis confidere. Multa quoque ſunt, quae noſtram teſtentur imbecillitatem, fragilitatem et indigentiam.

Id quod in cauſa eſt, cur ſacri ſcriptores una voce nos noſtrae commonefaciunt infirmitatis, docentque quam longe ab animi vitaeque cum lege ſanctitatis abſimus convenientia, eaque dignitate, quae, ut munificentiae divinae donis fruamur, requiritur.

Nemo igitur ſine vitiis ne naſcitur quidem, eademque labes, quam primi contraxerunt parentes, ad omnes, via naturae, propagata eſt poſteros. Sequitur ex his, omnes homines, uno verbo, eſſe *peccatores* Rom. 3, 9, 23. Pſ. 14, 3.

Eſt autem peccatum (αμαρτια, ἁμαρτημα, παραπτωμα, αδικια, αγνοια, ανομια, αιτια, ασεβεια, πονηρον etc.) abſentia conformitatis cum lege ſancta. 1 Io. 3, 4. „πας ὁ ποιων την ἁμαρτιαν και την ανομιαν ποιει. και ἡ αμαρτια εϛιν ἡ ανομια." (iq. αταξια.) Ex hoc genere etiam, quamquam graviſſimum omnium, fuit peccatum adverſus Sp. S., quod in frivola praeſertim adverſus miracula Chriſti criminatione cernebatur; ea nimirum, contra claram animi conſcientiam et populi teſtimonia, poteſtati daemonis mali

maligne adſcribente (Matth, 12, 31 — 32.) et hoc modo auctoritatem Chriſti eiusque benevola conſilia impediente Marc. 3, 30.

Peccati autem ſpectari debet vel *origo* vel *natura* vel, quae ipſi nexa eſt, *miſeria.*

A. Eſt autem hominis natura ita comparata ut ſuopte niſu in vetitum feratur, nemoque hactenus ſit mortalium, qui legibus divinis conformis reperiatur.

Ipſius enim corporis noſtri indoles talis eſt, ut rebus extra ſe poſitis afficiatur, vehementius affectum in animum pertineat, motus concitet animi ſobrietatem praeponderantes inque delicta trahentes; adeo ut multa ad peccandum incitamenta ex corpore tamquam ſede ſua proficiſcantur Rom. 7, 23. „βλεπω δε ετερον νομον εν τοις μελεσι μου αντιϛρατευομενον τω νομῳ του νοος μου και αιχμαλωτιζοντα με τῳ νομῳ της ἁμαρτιας τῳ οντι εν τοις μελεσι μου.“ cfr. cp. 6, 16. „το σωμα της αμαρτιας, corpus vitioſum, ſuis nos illecebris εις το δουλευειν τη ἁμαρτιᾳ trahens.“

Eleganter igitur Paulus legem corporis, τον νομον της σαρκος, legi opponit animi, ſobrii ſcilicet et nullis adhuc illecebris contaminati, qui eſt νομος του θεου κατα τον εσω ανθρωπον v. 23.

Quamquam autem corpus ſecundum indolem ſuam affectum multa ad malefaciendum praebeat incitamenta, ideo tamen *per ſe* neque

malum neque bonum ſenſu morali dicendum eſt; ne libertatis vim eo temerari opinemur; omnia potius ad animum denique redeunt, quando et quatenus ſe ſenſuum cupiditatibus (σαρχικαις επιθυμιαις Gal. 5, 17.) regi patitur.

Ex hoc enim accidit, ut animus, arctiſſimo cum corpore vinculo iunctus, impediatur et distrahatur, adeo ut mentis lumen obſcuretur appetitusque in ea, quae ſenſibus blandiuntur, coeco niſu feratur. Quae quidem primum leviora tentamina maiores tempore vires acquirunt, exiſtitque praeponderans in vetitum niſus talis ac tantus, ut meliora quoque, quae eſſe intelligimus, negligamus malisque libidinibus obtemperemus. Rom. 7, 19. ου γαρ, ο θελω, ποιω ἀγαθον, αλλ', ὁ ου θελω κακον, τουτο πρασσω. „video meliora proboque, deteriora ſequor" Ovid. met. 7, 19.

Ergo omnis denique peccati origo a perverſo liberi arbitrii uſu repetenda eſt. Senſuum enim vis haud tanta eſt, quin reprimi poſſit ac debeat. Qui igitur prave factorum culpam ſic a ſe amoliri conetur, ut iſtam omnem in corporis ſenſuumque perverſitatem congenitam et irreſiſtibilem devolvat, nihil agit. Ex animo enim, ſuam ſibi congenitam vim, libertatem et interioris legis laudem negligente et poſtea quidem quam neglexit, et ſe deprimi paſſus eſt, oriuntur quaevis delictorum genera teſtibus Chriſto et apoſtolis de hac re ſole clarius di-

centibus Marc. 7, 20 ſq. Iacob. 1, 14. 1 Io. 3, 8. et alibi.

B. Talis cum ſit naturae humanae indoles, patet, perverſitatem et ad omnes omnino pertinere homines, hoc eſt, eſſe univerſalem, omniumque animos ita occupare, ut ſemina peccati a parentibus ad poſteros translata generique humano congenita et naturalia recte dicatur. Gen. 6, 5—6. 8, 21. Iob. 14, 4. Pſ. 14, 1—3.

Hinc Paulus ad Rom. 3, 23. cp. 5, 12. 14. 19. cum homines ab initio, puri a vitio immunesque a morte, creati eſſent, docet, unum hominem legem divinam transgreſſum eſſe, Deoque obedientia denegata peccandi initium feciſſe, ex eoque uno ſic peccante mortis originem eſſe repetendam eamque inde mortis contagionem ad omnes tranſiiſſe genusque humanum univerſum invaſiſſe; quippe cum omnes aeque ac Adamus peccaverint et etiamnum peccent. cp. 3, 23. *παντες γαρ ἡμαρτον και υϛερουνται της δοξης του θεου.* — cp. 5, 12. *δια τουτο ωσπερ δἰ ενος ἀνθρωπου ἡ ἁμαρτια εις τον κοσμον εισηλθε, και δια της αμαρτιασ ὁ θανατος, και ὁυτως εις παντας ἀνθρωπους ὁ θανατος διηλθεν, ἐφ' ῳ᾽ παντες ἡμαρτον.* — v. 14. *αλλ' εβασιλευσεν ὁ θανατος απο αδαμ μεχρι μωσεως, και επι τους μη ἁμαρτησαντας επι τῳ ομοιωματι τῆς παραβασεως αδαμ, ὁς εϛι τυπος του μελλοντος.* — v. 19. *ὡσπερ γαρ δια της παρακυης του ενος ανθρωπου ἁμαρτολοι κατεϛαθη-*

σαν οἱ πολλοι, ουτω και δια της ὑπακοης του ενος δικαιοι καταϛησονται οι πολλοι.

Cum his conſentiunt, quae ep. ad Rom. cp. 7, 14 ſq. habentur; ubi Paulus ſe, etiam poſtquam ad fidem chriſtianam iam converſus fuerat, σαρκικον, πεπραμενον ὑπο την αμαρτιαν dicit. „ὁ γαρ κατεργαζομαι, inquit, ὀυ γινωσκω, ου γαρ, ο θελω, τουτο πρασσω, αλλ᾽ ὁ μισῶ, τουτο ποιω." etc. cfr. Gal. 5, 17. „ἡ γαρ σαρξ επιθυμει κατα του πνευματος, το δε πνευμα κατα της σαρκος. ταυτα δε αντικειται αλληλοις ινα μη ἁ ἀν θελητε, ταυτα ποιειτε."

Ioannes ſuis tum ſanctitatis arrogantiam tum felicitatis deſperationem cavens „εαν ειπωμεν, inquit, οτι ἁμαρτιαν ουκ εχομεν, εαυτους πλανωμεν, και ἡ αληθεια ουκ εϛιν εν ημιν. εαν ὁμολογωμεν τας αμαρτιας ημων, πιϛος εϛι και δικαιος, ἱνα αφῃ ημων τας αμαρτιας και καθαριση ημας ἀπο πασης αδικιας. εαν ειπωμεν, οτι ουκ ἡμαρτηκαμεν, ψευϛην ποιουμεν αυτον, και ο λογος αυτου ουκ εϛιν εν ημιν. 1 Io. 1, 8—10.

Quamquam vero peccati ſemina homini cuique congenita et ab ultima generis humani origine ad poſteros propagata dicuntur, hoc tamen non ſic intelligendum eſt, quaſi mortales praeter culpam ſuam et per Dei male providentis quaſi iniuriam in labem et miſeriam coniiciantur. Quod et creatore indignum foret ſapiente et omnem generis humani laudem libertatemque proſtraturum eſſet; atque etiam con-

tra clara ſacrorum virorum teſtimonia occupatum: Ezech. 18. Rom. 2, 6. ὁς αποδωσει ἑκαςῳ κατα τα εργα αυτου cp. 9, 11. μηπω γαρ γεννηθεντων, μηδε πραξαντων τι ἀγαθον η κακον; facta igitur ſunt et liberi arbitrii uſus; non ſemina, quae cuique inſunt, pravitatis, ob quae poena infligitur. Peccatum enim Iacobo auctore ex επιθυμια demum, ubi in animum ſeſe inſinuaverit, oritur, non item naturae ad peccandum proclivitas, concupiſcentiae incitamenta et radices quaſi ipſum iam ſiſtunt peccatum et reatum. Quod ideo monendum et tenendum eſt, ne quis ex ſuae naturae conſtitutione delinquendi praeſidia quaerat, ſtudioque pietatis et virtutis ſuperſedere ſe poſſe temere opinetur.

Cuncta autem de peccati indole doctrina eo redit, *primum* ut ne nimium nobis fidamus, iuſtosque nos et ab omni labe, etiam peccandi adeo periculo tutos et liberos credamus; *deinde* ut caute diligenterque circumſpiciamus, ſemina, fontes et occaſiones peccandi inveſtigemus, cognoſcamus, vitemus. Hac in cauſa reſpiciendae prae primis ſunt cupiditates, (επιθυμιαι Iac. 1, 14—15.) quae anſam peccandi, incitamenta, (tentationes, σκανδαλα Matth. 18, 8.) et pericula praebent. His igitur obſiſtendum eſt. Rei autem ſumus, non quod concupiſcimus, ſed quando pravae concupiſcentiae ſuavitate delectamur, quando nosmetipſi iſti ſubmit-

timus, eamque frequenter in animum involantem vires ſumere, et dominari patimur.

Cetera, quae de natura et partibus peccati, deque eius medelis dicuntur, ad doctrinam de moribus pertinent.

A. Ut homines in univerſum omnes peccare, ita eosdem propterea *miſeros* eſſe, una et conſentiens eſt vox ſacrarum litterarum. Eſt enim haec generis humani lex et conditio, ut quo longius a laude, cui deſtinatum eſt, recedit, eo magis miſeriae obnoxium fiat.

1. Depravationis et, quae huic nexa eſt, miſeriae indoles cernitur in eo, quod homo, ad uſum rationis et legitimae libertatis natus, meros appetitus (ὁρμας) ſaepe ſequitur; et moralitatis lege praeditus et numquam non admonitus virtutem negligit atque adeo contra nititur. Ex quo fit, ut homo, qui imaginem Dei relaturus erat, brutis ſimilior erroribus, opinionibus, feſtinationibus, libidinibus et perturbationibus agitetur. Quae quidem labes cupiditatibus indulgendo contracta et aucta quam miſeros faciant homines, hoc a nobis prae primis obſervari volunt ſacri interpretes. Pſ. 32, 8—9. Rom. 7, 10—11. και ευρεθη μοι ἡ εντολη, ἡ εις ζωην, αυτη εις θανατον. ἡ γαρ αμαρτια αφορμην λαβοῦσα, δια της εντολης, εξηπατησε, και δἰ αυτης απεκτεινεν. Eph. 2, 1. και υμας οντας νεκρους τοις παραπτωμασι και ταις αμαρτιαις. Tit. 3, 3. ημεν γαρ ποτε και ημεις ανοητοι, απειθεις, πλανομενοι,

δουλευοντες επιθυμιαις και ηδοναις ποικιλαις, εν κακια και φθονῳ διαγοντες, ϛυγητοι, μισουντες ἀλληλους. cfr. v. 8. Quibus qui conſtanter indulget, facile eo devenit, ut contra omnem veri vim occaleſcat, quae eſt πωρωσις, κατανυξις. Rom. 11, 25, tamquam obduratio animi, ſopor et inertia, qua quis σκληρυνει Rom. 2, 5. Ebr. 3, 8. i. q. παχυνεσθαι Eſ. 6, 10. pinguefieri, ingenio pingui laborare.

Accedit, quod homo, tum propter appetitus, quibus intempeſtive indulgens agitatur, tum propter facinora, quae, iisdem agitatus, abnormia patravit, *culpam ſuſtinet*, et mala malefactis cogitatisve ſuis annexa ad ſe pertinere ſeque iis obnoxium eſſe, non poteſt non concedere nulloque argumento a ſe avertere et amoliri. Culpa enim ineſt male cogitatis et factis, idque teſte quidem et iudice Deo. Id quod hominem reum et miſerum facit Rom. 1, 29—32. cfr. cp. 3, 9—19. Col. 1, 21. και υμας, ποτε οντας απηλλοτριωμενους και εχθρους τῃ διανοιᾳ εν τοις εργοις τοις πονηροις, νυνι δε αποκατηλλαξεν εν τω σωματι της σαρκος ἀυτου, δια του θανατου etc.

Cuius quidem culpae ſuae cum homo et conſcientem animum ſuum et Deum teſtem habeat, non poteſt non *metu* et *ſollicitudine* affici atque propterea dolere. Rom. 3, 19. οιδαμεν δε, οτι ὁσα ο νομος λεγει, τοις εν τῳ νομῳ λαλεῖ, ἱνα παν ϛωμα φραγῃ και υποδικος γενηται πας ὁ κοσμος τῳ θεῳ. — ου γαρ εϛι διαϛολη; παντες γαρ

Digitized by Google

ἥμαρτον και ὑςερουνται της δοξης του θεου. v. 23. cfr. 1 Io. 1, 8. ſq. cp. 3, 19 ſq.

Quibus ſi addideris et hoc, quod ſacri ſcriptores proloquuntur, ex peccato quoque oriri *moriendi neceſſitatem* Rom. 5, 12. et *miſeriam* etiam poſt hanc vitam *futuram*, eſt ſane quod peccans etiam atque etiam doleat ſeque ex delictis ſuis miſerum exiſtimet, et omnigenam peccati miſeriam ολεθρον, απωλειαν, σκοτος, θανατον effugere diſcat. Mors autem hamartian ſic ſequi dicitur, ut cauſae moriendi aliae innumerae haud excludantur, verum potius una illa prima et remotiſſima memoretur, eo quidem conſilio, ut mortis vim recte factis debilitari credamus. Moriendi igitur neceſſitas noſtrae nos infirmitatis, culpae admiſſae, legis divinae et officiorum imperatorum commonefaciat.

2. Quidquid autem mali et iniucundi delicta ſequitur, ſive naturae vinculo et neceſſitate ſive iudicis ſupremi iuſto et benefico regimine, id omne uno *poenae* vocabulo comprehenditur.

Poenam autem quamque, ſive ex nexu rerum neceſſario ſive ab alia quadam incognita cauſa evenerit, Deus tamen ſemper et unice, tamquam omnium rerum et eventorum cauſa prima, infligere dicitur. Hinc voces explicandae ſunt quae vario quidem reſpectu uſurpatae in iſtam tamen poenae vim univerſam redeunt;

Digitized by Google

ut: קְלָלָה, *κατάρα* imprecatio, voces dirae (*ὑπὸ καταραν ειναι, επικαταρα ον ειναι*, poenis lege propoſitis obnoxium eſſe Gal. 3, 10. cfr. Deut. 11, 26 ſq. iq. מאוה cp. 28, 20. opp. ברכה, *ευλογια*, ſtudium benefaciendi, beneficium, remuneratio Gal. 3, 13.) — *Οργη και θυμος*, אף, חרון, חמה Rom. 5, 9. Pſ. 7, 12. — משפט, *κριμα, κατακριμα, κρισις* Gal. 5, 10. Rom. 2, 3. cp. 13, 2. — פקדה animadverſio Eſ. 10, 3. iq. *επισκοπη* Luc. 19, 44. 1 Petr. 2, 12. — נקם, vindicta, *ἐκδικησις* Eſ. 63, 4. Luc. 21, 22. — שנאה Deut. 1, 27. odium opp. *αγαπη του θεου* — *θλιψις* 2 Theſſ. 1, 6.

3. Poenas diſtinguunt in *naturales*, ex ipſo facinore tamquam fonte et per naturae vinculum profluentes, et *arbitrarias* ſeu poſitivas, a libero Dei iudicis arbitrio pendentes. Diſputatio cuncta ad noſtras cogitandi redit anguſtias, in Deo enim nihil finit. Ecquis enim pro certo finire poterit, quid apud Deum ſit naturale quid arbitrarium? Num propterea, quod nos quidem cohaerentiam et nexum non intelligimus, nullus quoque in univerſi ſyſtemate nexus adſit? Tutiſſime iudicabis, ſi in univerſum omnia a *ſapienti* Numinis conſilio pendere, evenire et dirigi credideris, minime id agens ut *τα βαθη της του θεου σοφιας* perveſtigare et percenſere coneris.

Quodſi arbitrarium apud Deum id ponas eſſe, quod nullo conſilio nullaque ſummi boni ratione habita ſtatuitur, impie facis, eſt enim

Digitized by Google

Deus ſapiens, hoc eſt talis, qui finibus bonorum ſemper et ubique providet et conſulit. Quibus autem quidquid conſulit, id haud mere arbitrarium, ſed ſapienter moderatum dicatur.

4. Ex his credimus, poenas quasque peccantibus a Deo, quacumque via, inflictas eſſe *aequas* et *ſalubres*, in gloriam itaque Dei et ſalutem hominum convenientes. Rom. 2, 11. ου γαρ εϛι προσωποληψια παρα τω θεω — το Χρηϛον του θεου εις μετανοιαν σε αγει v. 4. ergo in poenis ſuſpice aequitatem ſimul et benevolentiam divinam.

Pariter quoque poenas a Deo exſpecta *certiſſimas*. Rom. 2, 3—16. — οτι συ εκφευξη το κριμα του θεου? 2 Petr. 3, 7. Ebr. 12, 25. cfr. cp. 10, 30. εμοι εκδικησις, εγω ανταποδωσω — κυριος κρινει τον λαον αυτου.

Et eo *funeſtiores* fore poenas credendum eſt, quo pertinacius et gravius peccare perrexeris. Fieri enim non poteſt, ut Deus ſapiens ſuarum laudum gloriam, finesque bonorum propoſitos temerari et everti patiatur; quare Deus ſceleratis πυρ καταναλισκον, ignis conſumens et pravorum audaciam poenis ſuis perfringens, dicitur Ebr. 12, 29.

5. Utrum ipſa etiam *mors*, cui, communi quidem ſorti, omnes ſuccumbunt mortales; quo modo et quatenus in poenis numerari queat, multum diſceptatur. Eſt autem mors, de qua hic agitur, vitae huius adſpectabilis iactura,

Digitized by Google

quam Paulus a peccato, tamquam cauſa media, diſerte repetit Rom. 5, 12. cp. 6, 21. 1 Cor. 15, 21.

Mortem autem, *primo* tenemus, omnibus hominibus eſſe neceſſariam, ſive impiis ſive piis 1 Cor. 15, 26.; ipſi etiam inſonti Chriſto acceſſiſſe Ebr. 2, 14. Nonnulli, qui a ſolito mortis genere immunes fuiſſe videantur, ut Enochus Gen. 5, 24. Ebr. 11, 5. Elias 2 Reg. 2, 11.; hos ſubita morte corporis exuvias depoſuiſſe credimus, ut noviſſimo olim die viventes εν ριπῃ οφθαλμου corpus φθαρτον depoſituros et αφθαρσιαν recepturos eſſe deſcribit Paulus 1 Cor. 15, 51—54. Eliam quidem fulmen tetigit, cuius non inſolita vi totum corpus in cineres converſum et conſumtum eſſe, ſunt qui exiſtiment. Enochum ſimili mortis modo periiſſe, haud obſcure innuit Moſes Gen. 5, 24. Deus enim illum, non amplius viſum, ſuſtuliſſe dicitur; quod vel de fulmine e coelo miſſo vel de mortis modo prorſus ignoto dici ſolebat. At vero, illud, quomodocumque intellexeris, nihil habet, quod iſtos homines corpore haud mutato (παντες αλλαγησομεθα 1 Cor. 15, 51.) coelum petiiſſe diſerte afferat.

Tum vero etiam multa in ſacris litteris adverſus mortis triſte fatum ſolatia praebentur, cum tenere doceamur, etiam mortem divinae ſubeſſe providentiae, Pſ. 90, 3. reſuſcitationem eſſe inſecuturam, animumque corporis viciſſitu-

Digitized by Google

dinibus fore ſuperſtitem 2 Cor. 5, 6—8. Phil. 1, 21.

Haec, ſi colligantur, oſtendunt, mortem, hoc eſt, corporis vitaeque huius adſpectabilis interitum (quem, leniendi cauſa, Paulus αναλυσιν receſſum, abitum appellat. Phil. 1, 23. 2 Tim. 4, 6. eſt enim αναλυειν relinquere diverſorium, caſtra mutare — ἀποθεσις του σκηνωματος 2 Petr. 1, 14.) in poenis ſic numerandum eſſe, ut ad communem generis humani ſortem, *quae naturae* infirmitatem et vitioſitatem ſequatur, pertineat. Eſt autem rerum ordo conſtitutus hic ut animi pravitatem naturae ſenſibilis corruptio et depravatio ſequatur; hinc mors, quae vitae terreſtris eſt iactura, ad pravitatis omnino conſequentia refertur, recte quidem. Etenim homines, pone, nullis omnino vitiis laborare, nihil delinquere; et cauſa quoque nulla adeſt, cur violentiae cuidem obnoxii ſint. Sic res ſibi conſtat theoretice ſpectata. *Practice* vero finibus bonorum eleganter conſulit, quando quidem meminiſſe docemur, mortem ad generis omnino humani pertinere infirmitatem, eſſe in iis, quae pravitatem admiſſam ſequantur; ineluctabilem quidem et irrefragabilem eſſe; eius tamen eventum benevolentia beneque factis, hoc eſt, animis moribusque emendandis minus periculoſum et gravem, imo laetabilem adeo et optatiſſimum fieri.

Digitized by Google

Qua doctrinae converſione, uſitata quidem et ſolemnis interpretibus ſanctis, quis eſt, quin videat, quanto opere finibus bonorum promovendis conſulatur? Ita το θνητον καταποθῃ υπο της ζωης, 2 Cor. 5, 4. —

6. Haec, quae modo diximus, eo in primis confirmantur, quod mors *iis* tantum terribilis et funeſta fore perhibetur, qui in male factis pertinacius perſeverantes, ſua mali conſcientia teſtante et monente, cur laetabilem *poſt hanc* vitam ſortem ſperent, non habent.

a. Enimvero et res ipſa et iuſtitia divina poſtulat, ut iuſtis peccatores poſt mortem etiam poenis afficiantur. Eccleſ. 12, 9. 2 Theſſ. 1, 6. ειπερ δικαιον παρα θεῳ ανταποδουναι τοις θλιβουσιν θλιψιν. cfr. Matth. 3, 12. cp. 25, 41. Io. 5, 29. και εκπορευσονται ὁι τα αγαθα ποιησαντες εις αναστασιν ζωης; οι δε τα φαυλα πραξαντες εις αναστασιν κρισεως.

Ergo malum quemque ſua manet merces ipſi poſt mortem a Deo iudice impertienda; quod eſt, poſt αναστασιν νεκρων, κριμα αιωνιον Ebr. 6, 2. οργη μελλουσα Matth. 3, 7. οργη ἡ ερχομενη 1 Theſſ. 1. 10. ολεθρος αιωνιος 2 Theſſ. 1, 8—10.

Hanc quidem bene maleve factorum mercedem tam diu fore, quam divina ſtet iuſtitia, diſcrimen igitur honeſtatis et turpitudinis iudiciumque Deo ex iſta ratione computatum numquam irritum fore, itaque aeternum peccantem

aeternas manere poenas, diſerte docemur; quam, uno verbo, *aeternam* vocant *damnationem*.

b. De *loco*, in quo ſuas mali daturi ſint poenas, nihil certo finitur. Etenim ᾅδης et שאול quemcumque poſt mortem ſtatum, beatum quoque, innuunt; quemadmodum γεεννα non tam locum puniendorum, quam ſuppliciorum et poenarum genus grave et infame ſignificat. Eſt vox origine hebraica, conflata ex גיא vallis et חנום, nomine poſſeſſoris proprio, *vallis Hinnomi*. Fuit autem vallis filiorum Hinnomi amoeniſſima, arboribus conſita et fontibus irrigua prope Hieroſolymam ad torrentem Kedron, in qua Iudaei olim idololatrae Molochi imagini poſitae animantia et liberos adeo ſuos immolare ſolebant. Abrogatis his horrendis a Ioſia ſacris hunc locum Iudaei, ad puriorem Dei cultum revocati, poſtea ita abominati ſunt, ut in eum non ſolum omnes ſordes eiicerent ſed etiam cadavera animalium et inſepulta ultimo ſupplicio affectorum hominum corpora; ad quae conſumenda et continui ignes neceſſarii alebantur et vermium ſuperſtites reliquias depaſcentium ingens ſemper aderat copia. Hinc mortis contumelioſae et poenae graviſſimae fuit imago. Matth. 5, 22. 29. 30. cp. 10, 28. cp. 18, 9. cp. 23, 15. 33. Marc. 9, 43 — 49. γεεννα vocatur το πυρ το ασβεστον, οπου ὁ σκοληξ ου τελευτᾷ και το πυρ ου σβεννυται.

Neque etiam multum refert, ſi ſcias quo in loco poenae olim ſint dandae, cum ſacrorum ſcriptorum conſilium magis ſpectandum ſit id, quo gravibus ex vita et uſu petitis deſcriptionibus nos a ſceleribus deterrere et ad honeſtatis ſtudia exhortari volunt. Videndum igitur ſit, non, ubi poenae ſint dandae, ſed ne omnino a nobis dari neceſſe ſit. Bene Chryſoſtomus hom. 31. in Rom. 16. „*μη ζητωμεν, που εϛιν, αλλα πως φευγωμεν.*“ Ceterum ſaepe iam monui, loci cogitationem noſtro percipiendi modo eſſe propriam et quamquam nos quidem non poſſimus, quaecumque cogitamus, in locorum rationibus non cogitare, alterius tamen hoc non pertinet, quam ad noſtrae perceptionis leges et anguſtias.

c. Pariter de poenarum *modo* nihil niſi univerſa a nobis teneri poſſunt, etenim, quae in ſacris S. de hac re memorantur finitiora, ad imagines potius pertinent quam ad certiorem cruciatuum indolem. Ex quo genere eſt carceris atris tenebris horridi imago Matth. 8, 12. ignis et flammarum Matth. 18, 8. 2 Theſſ. 1, 8. *εν τη ἀποκαλυψει του κυριου* Ιησου, *εν πυρι φλογοσ, διδοντος εκδικησιν τοις μη ειδοσι θεον και τοις μη ὑπακουουσι τῳ ἑυαγγελιῳ* etc. cfr. Matth. 25, 41. Marc. 9, 44.

In univerſum tenemus, ſuas quosque malos poenas daturos ſic eſſe, ut iis propter male facta male ſit, qui ſunt *οι βασανοι εν τῳ αδῃ* cru-

ciatus infernales. Luc. 16, 23, cfr. Rom. 2, 9. Matth. 25, ult.

Cruciatus autem iſtos tam ad corpus quam ad animum pertinere, ex arctiſſimo, quo utrique iunguntur, vinculo colligitur, ex quo fit et ſemper fiet, ut animi aegritudo corporis dolorem, hicque illam neceſſario contrahat. Homines enim poſt mortem quamquam non hoc, ſimili tamen et ſibi conveniente involucro uſuros eſſe et ſacra ſcriptura docet et rationi probabile eſt.

Graviter autem malus quisque etiam poſt mortem cruciabitur ſua mali conſcientia, cum ſe laude ſentiet excidiſſe ea, qua, ſi voluiſſet, potiturus erat; dolebitque de iactura felicitatis, qua uſurus erat, affectus inſuper pudore et contentu ſui ipſius, deſperationeque. Qua in re non leve iudico fore hoc, ſi viſuri ſint mali, quam bene bonis ſit regni divini civibus.

d. In primis autem cavendum eſt, ne Deum poenis peccatores afficientem ſuae *iuſtitiae* leges tranſgredi credamus. Eſt enim Deus ſanctiſſimus iudex, eiusque ſupplicia peccantibus accidunt via iudicii, *κρισεως*, *κριματος*. Ergo in iis nihil mere arbitrarium et temerarium eſſe temereque nec augeri nec minui credamus. Quare quando Deus punit, ſat praves illi eſſe *cauſas* confidamus Marc. 16, 16. 2 Petr. 2, 13 17. eumque ita ſemper punire ut impietatis *modus* ac ratio habeatur.

Digitized by Google

In puniendis cauſis autem diſerte referentur *tum* impietas Gal. 4, 8. 2 Theſſ. 1, 8. et legum divinarum humanarumque contemtus Rom. 2, 6—16. Iac. 2, 12. *tum* aſpernatio doctrinae Ieſu et apoſtolorum mirefactis multis confirmatae, quae eſt απιϛια Marc. 16, 16. Io. 3, 18. μη υπακουειν τῳ ευαγγελιῳ Rom. 10, 16. ευδοκειν εν αδικια, πιϛευειν τῳ ψευδει erroribus impiis favere 2 Theſſ. 2, 12. deſciſcere a veritate Ebr. 10, 26. 39. *tum* quaecumque vitiorum et corruptelarum genera vel profanorum Rom. 2, 12. vel chriſtianorum hominum 1 Cor. 6, 9. Gal. 5, 19—21 Matth. 7, 21. cp. 25, 41 ſq. Graves praeſertim et inevitabiles poenas Petrus minatur falſis doctoribus, qui doctrinae ſuae impietate ſuſpicionem et invidiam movent rei chriſtianae; δι ὁυς ἡ ὁδος της αληθειας βλασφημονται" eosque docet quaſi captivos detineri in diem ſupplicii; quippe qui impuris cupiditatibus in res viles et ſenſibiles quasque (in carnem) ferantur, imperia deſpicatui habeant et temeraria arrogantia capti non vereantur conviciis laceſſere magiſtratus; fore autem ut improbitatis fructus percipiant, quotidianum voluptatis uſum oblectationis ſummam iudicantes, faeces et inquinamenta generis humani 2 Petr. 2, 1—3. 13 ſq. cfr. Iud. 4, 13. — Quod etiam iis dictum ſit, qui noſtris temporibus vitae magis luxurie et ingenii levitate quam veri bonique ſtudio docti in ſancta quaevis invehuntur, fundamentaque pietatis et ho-

neſtatis ante evertere populoque eripere conantur, quam meliora et firmiora ipſi reddere valeant!

Ut autem iuſtitiae divinae fit iniuria ſi quis impune peccari poſſe exiſtimaverit, ita nefas eſt, numerum damnandorum praeter iuſtas cauſas augere et communi ſententia omnes ad inferos detrudere, quicumque vel evangelii uſura caruere ut infantes non initiati, barbaris gentibus prognati, barbaro ritu viventes *etc.* *cum* diſerte doceamur, Deum ex lege *quemque ſua* iudicaturum ſive ſcripta ſive nata. Luc. 12, 48. Matth. 25, 14—30. Neque etiam eſt, quod voce ἐκλεκτων offendamur, cum pauci illi, qui nominantur Matth. 20, 16 cp, 22, 14. diſerte intelligendi ſint ii, qui tempore Chriſti docentis nomina dederant, non ii, qui ſalutis aeternae omnino participes eſſent futuri. Ex multis enim pauci tunc temporis Chriſto Deoque probabantur. Qua propter Chriſtus etiam ſuam cum Phariſaeorum diſciplina comparans ſcholam, illam latam appellat viam, hanc vero anguſtam, moleſtam et paucis arridentem. Paucis enim ſevera ſanctitatis et pietatis lex placuit. Matth. 7, 13 — 14.

e. Quomodo verba πυρ αιωνιον, κολασις αιωνιος Matth. 25, 46. Iud. 7. πυρ ασβεστον Marc. 9, 44. accipienda ſint, multum diſceptatur. Res loquendi uſu et ſapientiae divinae lege facem praeferente facile poteſt expediri.

Vocem *αιωνιου* de rebus dici *εις τον αιωνα* perennantibus, notum eſt. Sic eſt de rebus per multa ſecula ſtantibus et antiquis ut: *πυλαι αιωνιοι* Pſ. 23, 7. 9. *ετη αιωνια* Pſ. 76, 5. *ορη αιωνια* Pſ. 75, 4. *ορια αιωνια* Prov. 22, 28. cp. 23, 10. *βουνοι αιωνιοι, ποιαι αιωνιοι* Habac. 3, 5. Dan. 9, 24. *δικαιοσυνη αιωνιος* felicitas ſuperiorum temporum. *μυστηριον χρωνοις αιωνιοις σεσιγημενον*, quod olim, multis ſeculis elapſis, haud innotuit. Rom. 14, 25. *διαθηκη αιωνιος* lex (veteris foederis) perpetua Gen. 17, 7. *ιερατεια αιωνιος* ſacerdotium perpetuum Num. 25, 13. In his quidem nemo abſolutam rerum infinitatem contendet.

Iam quaeritur, an eodem ſenſu vox *άιωνιος* (*ζωη* vel *κολασις*) accipienda ſit? Si quod ſententiarum nexus et orationis ſeries poſtulat, fateri volumus, perennitas neque abſoluta neque definita diſerte aſſeritur Loca Matth. 25, 46. Marc. 9, 44 — 46. et Iudae 7. potius de civitatis perennitate quam poenarum perpetuitate habent, ſedemque infamem et ſine ſine fore et numquam non cives habituram eſſe docent. Gravius pungit argumentatio e decreto Chriſti petita, qui Matth. 26, 24. melius, ait, conſultum fuiſſe Iudae proditori, ſi nunquam natus fuiſſet. Ex quo quidem, quam graviter deliquerit nequam ille, ſat lucide intelligitur, pariterque patet, graves ipſi dandas fuiſſe poenas, minime vero, ipſi ſupplicia ſubeunda eſſe abſolute aeterna, ex propoſitis verbis patet. Valde ta-

Digitized by Google

men feſtinaverit, qui poenarum finem ex dictis efficere voluerit. Re quodam modo a ſacris ſcriptoribus in medio relicta reſtat ut argumentis iuſtis, ex ingenio religionis ſanctae petitis defungamur. Nec defuere, qui hypotheſibus rem conficere conarentur.

Sunt enim, qui *crimina* eſſe *infinita*, propterea que infinita demerere ſupplicia dicant. Infinitatem delicti vel ex laeſa numinis maieſtate infinita vel ex peccati conſecutionibus nullo non tempore per rerum decurſum *duraturis* repetunt. Videant ne, dum iuſtitiam Dei vindicatum eunt, ſapientiae moderatrici vitia exprobrent. Alii poenarum infinitarum vindicias ex praeſcientia Dei (ſcientia media) petunt; cum praeviderit, homines numquam a ſcelere redituros fuiſſe, propterea eos ob voluntatem delicta ſua ſemper continuandi, continuis poenis afficiendos eſſe argutantur; id quod claris refragatur ſacrae ſcripturae enunciatis, quae poenas comminantur non niſi male facientibus, *κατα τα εργα* Rom. 2, 6. *προς ἁ επραξεν ἑκαςος* 2 Cor. 5, 10. Quid enim iniquius eſt quam punire aliquem propter ea quae forte delicturus erat? Alii denique ad *libidinem peccandi aeternum continuatam* confugiunt; quam quomodo ponere poſſint, non video, nec prius credo, quam mihi demonſtraverit aliquis, naturae animique humani ſtamina et elementa, radicitus poſſe everti omnesque boni verique ſcintillulas penitus exſtingui; quod ſi fieri poſſit, non in-

telligo, uter maiorem ſuſtineat culpam, Deusne rerum creator et rector potentiſſimus, an homo multis modis impotens et fragilis. At dicitur etiam multa Dei cultoribus accidere laetitia ex uno ad meliorem frugem redeunte peccatore Luc. 15, 10. quod qui fieri poteſt, ubi vel in hac vel in futura ſaltim vita omnis interciſa eſt reſipiſcendi facultas? Vide ne Deum, qui αγαπη eſſe dicitur, facias crudelem.

Ex his igitur apparet, argumentis huc usque uſitatis abſolutam poenarum perennitatem vindicari non poſſe. Videndum eſt, quid praeſtent, qui ab altera parte ſuppliciorum finem efficere conantur.

Provocant ad perfectionem et abſolutionem, quae promittitur, omnium rerum; (ἀποκαταςασιν παντων Act. 3, 21.) quam ſive ad tempora novi foederis durantis, quibus omnia in meliorem ſtatum ſunt redigenda, ſive ad ea retuleris tempora, quibus eventum ſortitura ſunt, quaecumque a prophetis praedicta leguntur; manet tamen reſtaurationis univerſae alicuius promiſſio, quacum cogitatio de ingenti et perenni partis mundi et animorum αυτονομων corruptione et everſione conciliari vix poterit. Accedit, quae item innuitur, rerum omnium correctio, διορϑωσις Ebr. 9, 10.; quae etſi proprie ad diſciplinam pertineat chriſtianam, ex eaque, ut cauſa ſua media, repetatur, certe tam anguſtis vix coerceri debet terminis, ut, quod his in

terris praeſtari poſſe et debere legimus, illud poſt huius vitae decurſum omnino ceſſet omnique latius patente vi et conſecutione deſtitutum ſit.

Epicriſis de damnatione aeterna.

Poenae, quibus peccatores olim affectae erunt, diſerte neque finitae neque infinitae dicuntur, vox enim *αιωνιος*, לעולם, quoduis temporis ſpatium, longius, brevius, olim praeterlapſum, praeſens, futurum, durationem integram rebus ſuis perſonisque, de quibus ſermo eſt, accommodatam ſignificat. Igitur ubi nude ponitur, tempus potius indefinitum quam infinitum proponit. Quicumque igitur ex locis S. S. poenarum poſt mortem dandarum vel finem vel infinitatem abſolutam efficere conantur, utrique fruſtra pariter enituntur. Res igitur ex diſciplinae ſanctae ingenio ac indole univerſa expendenda eſt.

Totam doctrinam finibus patet conſulere bonorum et id ſibi velle ut nobis caveamus, inque eo elaboremus, ut digni ſimus, qui iſta omnia effugiamus, iuſtique coram Deo filioque eius reperiamur. „*ἀγρυπνειτε ουν, εν παντι καιρῳ δεομενοι, ἱνα καταξιωθητε ἐκφυγειν ταυτα παντα τα μελλοντα γίνεσθαι, και ςαθηναι εμπροσθεν του υἱου του ανθρώπου* Luc. 21, 36.

Eſt autem rationis paritas inter male atque bene facta; et quam late patet merces bene factorum, tam late pateat, neceſſe eſt, merces male factorum. Iam ſi nefas eſt finem ponere conſecutionibus virtutum, ecquis ſtatuat, idem fas eſſe in iis, quae ſcelera ſequantur? ſuae quibuscumque accommodantur facinoribus conſecutiones, incommodae malis, bonis commodae. Quidquid autem homo libere peragit, illud ad ſe pertinet vel perficiendum vel depravandum. Ex quo elucet male facta ſemper damna poſt ſe trahere irreparabilia ac perennia, etiam tum, cum delinquens ad meliorem coeperit redire frugem. Fieri itaque non poteſt, quin peccans ab honeſto ſemper poſt ſe relinquatur, eiusque, quod deliquerit, aeternum ſentiat conſecutiones, nulla vi, ne per Deum quidem, niſi mirefacto accedente et leges ſanctitatis turbante, reparabiles.

Res, maxime, perverſa de poenis notione impeditur. Eſt autem poena in ethicis, quae eſt virium et motuum correctio in phyſicis. Suis utraque conſequitur legibus et ad univerſi ſyſtematis partiumque ſingularum pertinet correctionem et conſummationem. Fieri non poteſt, quin animi creati et ſuis virium terminis circumſcripti labantur lapſique firmo denique pede diſcant incedere. Hoc non impedit, quo minus eximiae ſtent naturae humanae laudes, ingenii dotes, finesque propoſiti. A principio

Digitized by Google

omnia in homine ita conſtituta ſunt, ut recto quaſi tramite ad metam tendant; uſu vero et vita aberrent. Sic lex moralitatis, quae libertati regundae ſcripta eſt, ſapenumero varioque modo negligitur, hominesque a ſcopo ſibi praefinito multis itineribus deflectunt. Quod cum naturis accidat intelligentibus et liberis, aliter corrigi nequit niſi conſecutionibus ordinatis, incommodis ſubſequentibus tam interioribus quam exterioribus.

Hinc praeclare inſtitutum eſt, ut homo, ſimul atque legis innatae conſcius exiſtit, cum a recto ſancti dictaminis tramite deflectit, ipſe ſe puniat, malique conſcientia caſtigetur; quae quid aliud eſt, niſi depravationis et humilitatis ſponte contractae ſenſio iniucunda? Contemtum ſui (ſenſum perſonalitatis depravatae) phyſicorum ſequitur cohors malorum. Eſt enim naturae intelligentis haec ratio, ut animi deturpationem corruptio ſequatur ſenſibilis. Id quod in genere perſpicitur, licet per partes haud ſemper nobis innoteſcat. Sequitur luxuriem egeſtas, libidinem tabes, ignaviam fames. Qui quidem rerum ordo ut ubique et ſemper aequiſſimo modo ſervetur, Deus eſt, qui providet et gubernat. Numquam hic patietur, ut animorum liberorum intemperantia ſcopus mundi praeſtitutus diſturbetur. Ille aeternum bonis proſpiciet et aequabilem ipſis convenientemque ſufficiet fortunam; idem ille malis renitetur videbitque ne proſpe-

ris, qui videntur, male factorum eventibus ſuperbi legem ſanctitatis natam et ſcriptam temerent.

Talis rerum ordo praeſtitutus eſt et aeternum ſervabitur. Eius autem ſervandi modus ex noſtris intelligendi anguſtiis minime eſt aeſtimandus; unus ille, qui rerum viciſſitudines, fortunae converſiones et factorum conſecutiones omnes et ſingulas, praeſentes futurasque uno quaſi intuitu conſpicit; unus, inquam ille, ordinis ſervandum modum aeſtimare et dare poteſt.

Atqui ſi ſacri iam interpretes de aeternis loquuntur factorum mercedibus, virtutum praemiis, ſcelerum poenis, hasque aſſerunt eſſe perennes; quid aliud ſibi volunt, quam ordinem legemque recti iuſtique numquam ſubrui et tolli poſſe, numquam turbatum et profanatum iri? Sua ſceleratum quemque manent ſupplicia inevitabilia et perennia. Quae qui fore ſperat ut unquam effugiantur et vana fiant, temere opinatur. Deus eſt iuſtus, impiumque cum pio parem fortunam ſortiri numquam patietur.

Neque tamen iſta ſuppliciorum perennitas contra ſapientiae ſummae finem occupanda eſt. Nullas Deus admittit poenas, niſi eas eoque conſilio inflictas, ut ad correctionem faciant inſanumque ad ſanam mentem reducant. Male igitur ſapientiae divinae conſulunt, qui animos lapſos ita teneri aſſerunt, ut iracundiae quaſi di-

vinae per cruciatus ſuos ſint oblectamento aeterno. Dabit Deus profecto etiam his, ut ſenſim reſipiſcant, meliores exiſtant, tolerabiliorique fruantur fortuna; ita tamen ut iuſtitiae lex et rerum ordo ſervetur.

a. Sunt igitur tam perennia ſcelerum ſupplicia aeque ac virtutum praemia, quam perennis eſt iuſtitiae lex rerumque ordo per illam praeſtitutus.

b. Numinis autem ſapienter punientis ſupplicia hanc vim habent, ut corrigant et ad meliorem mentem reducant. Id quod ſic fieri poteſt, ut minarum divinarum ſeveritati et gravitati nihil detrahatur. „δικαιος ὁ θεος και πιςος."

c. Doctrina ſic informata conſentit cum ſapientia ac iuſtitia divina, facit cum ſacrorum interpretum enunciatis, et, maxime, vim habet ad animum piis ſtudiis imbuendum et occupandum. Etenim quidquid ſcriptum eſt, hoc nobis erudiendis et admonendis inſerviat faciatque ut eo ardentius pietatem honeſtatemque ſequamur. 2 Tim. 3, 16. cfr. Rom. 15, 4.

* * *

Quae de primorum iam parentum lapſu et ad omnes deinde poſteros propagato peccandi ſtudio, de infirmitatibus et delictis, de horum porro nexa miſeria, conſecutionibusque male

Digitized by Google

factorum etiam huius vitae terminos transgreſſuris et duraturis proferuntur, id praeſertim ſpectant, ut noſtrae ſemper memores ſimus imbecillitatis ac dependentiae; et, quam divinae gratiae beneficiorumque egeni ſimus, numquam non agnoſcamus. Quodſi Deo placuerit, nobis auxilio egenis ſuccurrere, id grato animo accipiendum et in uſum ſic transferendum ſit noſtrum, ut eius ope et gratia ad laudem et fortunam propoſitam adſpiremus.

Sectio. VI.

De Gratia Dei ſalutari et opportuna.

1. Cum tot tantaeque ſint generis humani imbecillitates, tot peccandi incitamenta, pericula et occaſiones, cum tam ſaepe et graviter peccetur, ſequitur hominem multis modis ope gratiaque numinis ſalutari egere.

Etenim quamquam non ignoremus, homini, ut iam comparatus eſt, multa adhuc ineſſe bona, multis eum exornatum eſſe viribus, vi vigere ſentiendi, intelligendi libereque appetendi, ita ut, quae ad ſalutem ſuam faciant, excogitare et bene honeſteque factis proficere poſſit, quamquam, inquam, hoc nullo modo diffiteri liceat, aeque certum tamen eſt, plenam hominis virium copiam ad ſe emendandum et perficiendum pror-

ſus inſufficientem eſſe. Id quod multis argumentis poteſt commonſtrari.

Namque homo quidem, Deum eſſe et qualis ſit cogitandus, rationis ope ſuſpicatur et ſanctitatis lege provocatus credit, quam autem imperfecta et manca ſit huiusmodi cognitio, ſuis quisque intelligentiae anguſtiis poteſt edoceri. Multo adhuc magis imbecillitas proditur noſtra in officiis praeſtandis et vitae neceſſitatibus adparandis. Quod ſi in his nos *dependere* et egere conſpicimus, in illis, quam parum praeſtemus, noſtrum nos ipſorum cognitio et legum naturum ſanctitas et ſublimitas oſtendunt. Quotus enim quisque eſt, quin officiis ſe teneri ſanctis, iisdem vero minimam partem ſatisfacere ſe ſentiat? Rom. 3, 9. 23. cp. 8, 3. cp. 11, 32. Eph. 2, 1—5.

Ecquis ſit, quin ſaepe ſe cupiditatum vi abripi inque vetitum niti vel intelligat, vel nullo negotio intelligere poſſit? Rom. 1, 20 ſq. cp. 2, 11—15. cp. 7. tot.

Ex quo apparet, quam circumſcripta ſit, noſtra agendi facultas ad legis ſanctae imperium menſurata, quam ſit difficile, animi appetitionibus ſecum colluctantibus victorem ita decedere, ut recti bonique ratio habeatur; quanta hinc virium inſufficientia, ut proprio marte ex ſervitute et conflata inde miſeria haud eluctemur; teſte quidem experientia ταλαιπωρους nos ἀνθρωπους commonſtrante; (Rom. 7, 24.) adeo ut no-

ſtro ſtudio noſtraque opera in integrum converti, emendari et virtutis praemia conſequi haud poſſimus.

Quod autem non ſic intelligendum ſit, quaſi nihil omnino ipſi efficere poſſimus, verum potius, ut ne nimis nobis fidamus ſolis, noſtrisque ſolis freti viribus Dei auxilium ſpernamus, ita nobis oblatum, ut dociles et parati mediis gratiae divinae utamur.

2. Quod ſi tam imbecilla eſt humani natura, tamque auxilii indiga, *opportuna* ſane nobis accidit gratia divina, quam doctrina revelata nobis *ſalutarem* offert; quae eſt *χριϛοτης*, *φιλανθρωπια*, *ελεος*, *αγαπη*, *χαρις*. Tit. 2, 11. cp. 3, 4. (Act. 20, 24.) *επιφανη γαρ ἡ χαρις του θεου ἡ σωτηριος πασιν ἀνθρωποις, παιδευουσα ημας, ινα, αρνησαμενοι την ἀσεβειαν και τας κοσμικας επιθυμιας, σωφρονως και δικαιως ζησωμεν εν τῳ νυν αιωνι.*

Quibus verbis in univerſum benevola Dei erga genus humanum conſilia proponuntur, ſalutaria quidem et effectu rata, quae Deum *σωτερα*, qui dat ſalutem *σωτηριαν*, יְשׁוּעָה, veneramur, vel a malis nos liberantem vel commoda concedentem Io. 3, 16. *ινα πας, ο πιϛευων εις αυτον, μη ἀποληται αλλα εχει ζωην ἀιωνιον.* Atque hanc quidem benevolentiam Dei et caritatem ſemper et fuiſſe talem et fore docemur, eſt enim *ἐυδοκια του θεληματος*, *εκλογη* ſeu *χαρις* ut certiſſima ita ab aeterno in aeternum perennans et conſtans, quare *κατ᾽ ιδιαν προθεσιν* (2 Tim. 1, 9.)

προ καταβολης κοσμου, προυρισας ημας εις υιοθεσιαν Eph. 1, 4 ſq. Rom. 8, 29. ὁυς προεγνω και προωρισε συμμορφους του υιου αυτου etc.

Eadem igitur gratia ad nos pertinet vel e miſeria, qua premimur, liberandos, vel bonis, quibus caremus, donandos. Quare miſeris (νεκροις, τεκνοις ὀργης) accidere dicitur, talibus, qui delictis laborant ſuis. Eph. 2, 1. και υμας οντας νεκρους τοις παραπτωμασι και αμαρτιαις — χαριτι σωζει. cfr. Tit. 3, 5. Ergo in cauſis etiam miſeriae removendis, in peccatis tollendis cernitur miſericordia divina, ἐλεος; quod ſic ſe praeſtare aſſerit, ut ad exemplum pietatis, quod Ieſus praetulit, conformati bonis adparatis fruamur.

Neque his ſolum promiſſis Deus ſe defungi, ſed bona etiam promiſſa re vera ſe exhibere et elargiri teſtatur, quare ſe re ipſa χαριτουν, την χαριν ενδεικνυσθαι, ζωοποιειν, hoc eſt, beneficia ſua re et facto declarare, exhibere pronunciat Epheſ. 1, 6. cp. 2, 5—7.

Eſt igitur haec gratia divina vere operans et effectu rata, ſic ut, quae per eam in animis hominum emendandis efficiuntur, diſerte ad Deum referantur agentem, vim ſuam exſerentem. Quod autem agit, hoc eſt, ut *venia* concedatur peccatorum, ut *emendatio* fiat animorum, ut *ſalus* impertiatur aeterna; atque denique, quod haec Dei benevolentia hominibus innotuerit, hoc etiam in gratiae divinae beneficiis numeratur. Quare non eſt quod mole de-

Digitized by Google

lictorum terrefacti de reconcilianda Dei benevolentia deſperemus; ἐν ᾡ εχομεν την απολυτρωσιν δια του ἁιματος αυτου, την αφασιν των παραπτωματων, κατα τον πλουτον της χαριτος αυτου. Eph. 1, 7. cfr. cp. 2, 5. Col. 2, 13. Neque tamen iſta delictorum remiſſio indignis accidit, ſed talibus, quibus adnunciata Dei gratia utilis fuit ad emendationem, per eius quidem liberalitatem a ſceleſta vita abſtractis et ſervatis, χαριτι σεσωσμενοις. Tit. 3, 3—6. Et ſub hac denique conditione ac lege futurae et ſempiternae felicitatis ſpes iniicitur; τα γαρ οψωνια της ἁμαρτιας, θανατος. το δε χαρισμα του θεου, ζωη αιωνιος εν Χριςῳ Ιησου τῳ κυριῳ ἡμων Rom. 6, 23. Cuius beneficii cognitio et promiſſio quod nobis acciderit, hoc gratiae divinae acceptum eſt referendum; ὁς παντας ανθρωπους θελει σωθηναι, και εις ἐπιγνωσιν αληθειας ἐλθειν. 1 Tim. 2, 4. quare apoſtoli ſe σοφιαν θεου εν μυςεριῳ λαλειν teſtantur, την αποκεκρυμμενην, ην προωρισεν ὁ θεος προ των αιωνων εις δοξαν ἡμων. 1 Cor. 2, 7, Quae eſt γνωσις σωτηριας Luc. 1, 77. πασα σοφια και φρονησις Eph. 1, 7—8. beneficio Dei conceſſa, κατα τον πλουτον της χαριτος. cfr. 1 Cor. 1, 4—5.

2. Quod autem proprium eſt diſciplinae chriſtianae, iſta Dei patris gratia apparuiſſe et impertienda eſſe dicitur *per* et *propter Ieſum Chriſtum*, et ad hunc diſerte refertur tantorum beneficiorum interpretem Deum inter atque homines. Etenim per Chriſtum η χαρις dicitur

Digitized by Google

δοθεισα, per eum imbuti dicimur παντι λογῳ και πασῃ γνωσει. 1 Cor. 1, 4—5. per illum εχειν την απολυτρωσιν του αιματος αυτου, την αφεσιν των παραπτωματων Eph. 1, 7. per illum denique felicitatis cuiuscumque ſpem certam et ratam, την ζωην αιωνιον; Rom. 6, 23. cfr. Matth. 11, 27. 1 Io. 2, 22. cp. 5, 11. Cauſa porro animis hominum operans et gratiae divinae cupidis opitulans diſerte ad πνευμα αγιον refertur, huius enim unius opus eſſe dicitur, quod in animis hominum ſenſim ſenſimque perficitur, et per varia ſua incrementa variasque partes abſolvitur In quo quis eſt, quin videat, cum pietate erga Deum, gratia et caritate venerabilem, cum obſequio erga Ieſum conſiliorum paternorum interpretem aptiſſime coniungi ſpiritus ſancti reverentiam, iuberi igitur ut legis ſanctitatis, univerſae diſciplinae principii et fundamenti ratio habeatur, quippe ſine qua nec Chriſti labores nec patris beneficia nobis ſalutaria eſſe et concedi queant. Hinc, quae in nobis oritur, eſt ἀνακαινωσις πνευματος ἁγιου Tit. 3, 5.; et: δυναμει κραταιωθηναι δια του πνευματος αυτου (πατρος) εις τον εσω ανθρωπον, dicimur Epheſ. 3, 16. cfr. cp. 1, 13.

Ex hoc ſimul apparet, verbum eſſe divinum, quo Deus utatur medio ad hominum animos emendandos; et hactenus Deus nos dicitur Chriſto credentes καλειν, φωτιζειν, ἀναγενναν, δικαιουν, αγιαζειν; et divinae gratiae in uni-

verſum hoc eſſe propoſitum ut ex conditione infelici in longe feliciorem transferamur.

3. Ut autem Deum ab aeterno beneficia ſua exhibere voluiſſe, ita eadem omnibus ac ſingulis, omniumque generum hominibus deſtinaſſe legimus.

Etenim Deus nos amando praeveniſſe, beneficia ſua ſponte paraſſe et ante obtuliſſe dicitur, quam ullus fuerit homo vel aliquid praeceſſerit, quod Deus re ſic decernenda et inſtituenda compenſare voluerit. Io. 4, 10. 19. *ἡμεις ἀγαπωμεν τον θεον, οτι αυτος πρωτος ηγαπησεν ημας.* Iacob. 1, 18. *βουληθεις απεκυησεν ημας λογῳ ἀληθειας.* i. e. Cum ita vellet, decreviſſet, ſeu: ſponte et libere nos progenuit, emendavit per verbum ſuum verum. cfr. Epheſ. 2, 8 — 10. 2 Tim. 1, 9. *του σωσαντος ημας και καλεσαντος κλησει ἁγιᾳ, ου κατα τα εργα ημων, αλλα κατ' ιδιαν προθεσιν και χαριν την δοθεισαν ημιν εν Χριςῳ Ιησου προ χρονων αιωνιον.* cfr. Tit, 3, 5. Hinc Deus ſola caritate ductus nobis benefeciſſe dicitur Io. 3, 16. Rom. 5, 6 ſq. 2 Theſſ, 2, 16. *ἀγαπησας ημας και δους παρακλησιν αιωνιαν και ἐλπιδα ἀγαθην εν χαριτι.*

Nec quisqam ſit, qui ſe caritate hac divina orbum cogitet, quae ad omnes omnino pertineat, 1 Tim. 2, 4. *ὁς παντας ἀνθρωπους θελει σωθηναι και εις επιγνωσιν αληθειας ἐλθειν,* cp. 4, 10. *σωτηρ παντων ἀνθρωπων, μαλιςα πιςων.* Pariter enim Chriſti beneficia ad omnes referuntur,

Digitized by Google

paſſi et mortui ὀυ περι των ἡμετερων (αμαρτιῶν) δε μονον, ἀλλα περι ὁλου του κοσμου 1 Io, 2, 2; adeo ut commune ſit beneficium nullius diſcriminis nationum, aetatum, ſexuum rerumve externarum ratione habita, μη βουλομενος τινας απολεσθαι, αλλα παντας εις μετανοιαν χωρησαι. 2 Petr. 3, 9. cfr. Act. 17, 30. Id quod apoſtoli praeſertim contra opinionem Iudaeorum urgebant, Deo gratiam tribuentium, uni tantum nationi propriam, etſi de communicanda cum paganis religione vera iam prophetae fuerant locuti Deut. 32, 21. Ieſ. 66.

Neque tamen huic, quae aſſeritur, caritatis divinae univerſalitati obeſt, quod multi tam noſtri quam ſuperioris aevi temporibus gratiae ſalutaris notitia propiore eiusque fructibus caruerunt. Inter quos qui notitiam oblatam vel repudiavere, vel cognitam et inculcatam in ſuos haud contulere uſus, hi culpam ſibimetipſis tribuunto; quibus vero gratia iſta ſalutaris modo propiore ne innotuit quidem, hos Deum legimus paſſum eſſe, ſuis incedere viis, multis ſemper beneficiis affectos et cumulatos, adeo ut vel hac ratione multa etiam inter eos ſui documenta ediderit Act. 14, 16. cp. 17, 30. Rom. 11, 30. 31. Eosdem porro legimus Deum iudicaturum eſſe iuxta notitiam quam habuere, minime vero iuxta eam, qua caruere, ſic ut, qui ἀνομως peccaverint, ἀνομως puniantur; qui vero ἐν νομῳ peccaverint, δια του νομου condemnen-

tur. Rom. 2, 12 ſq. Quin etiam profuturum eſſe iis docemur, ſi qui *ανομως* honeſte vixerint; *δοξα δε και τιμη και ειρηνη παντι τω εργαζομενω το αγαθον Ιουδαιω τε πρωτον και Ελληνι* v. 9—10. Hactenus etiam Cornelius, poſtea ad notitiam et fructus religionis ſanctioris adipſcendos evectus, laudatur, quod nondum chriſtianus pro ſuae tamen ſcientiae menſura bene egerat. Act. 10, 34—25. Ergo gratiae divinae etiam hoc proprium eſt, ut quem ad modum nos per religionem ſanctiorem ad certum ſalutis gradum evehimur, ita ceterorum Deus iudex futurus ſit iuſtiſſimus ſcientiam cuiusvis et facta reſpiciens. Luc. 12, 47—48. Quare peccant, qui praefracte iudicantes opinantur, vel omnibus gratiae propioris emendantis aliquid accidiſſe vel de eorum, quibus nulla ſua culpa minus acciderit, actum eſſe ſalute.

Univerſalitatis autem nota in eo cernitur, quod Deus caritate ſua et omnes amplectitur, et beneficia ſua omnibus offert, adeo ut nemo ſit, qui ſe amore divino praecluſum et orbum debeat lamentari.

De modo autem, quo, atque de cauſis item, quibus Deo viſum ſit, propiorem caritatis ſuae univerſae notitiam exhibere, quo tempore, quibus viciſſitudinibus, hoc nobis eſt *ανεξερευνητον τι*; nec noſtrum eſt definire, cur his non citius, cur illis non ſerius, cur magis aliis, aliis minus, cur aliqua aetate non pluribus innoteſcere

voluerit. Ecquis modum ſapientiae ſummae ſtatuet? quis eiusdem cauſas expiſcari audebit?

4. Cum Deus et ſemper voluerit et ſemper procuraverit, ut beneficia ſua vel offerrentur vel exhiberentur hoc ſenſu omnes quoque homines ad gratiam ſuam accipiendam invitaſſe, de eadem edocuiſſe, monuiſſe, hoc eſt, *vocaſſe* dicitur. Eſt enim *καλεῖν*, evocare ad ſalutem, quae offertur, accipiendam. Quae quidem evocatio cernitur monendo, edocendo, promittendo, offerendo. Quam qui ſequitur vocationem (*κλῆσιν*) is inter cives numeratur coeleſtes, gratiae divinae participes, dignos, vere chriſtianos Rom. 1, 7. „*κλητους ἁγιους*.“

Eſt igitur gratiae divinae hoc proprium et peculiare beneficium, quod ad animum emendandum *evocamur*, quod huic invitationi parentes notitia veri bonique *illuminamur*, quod in illuminatis nobis *ſides* gignitur; quod fide hac recti ad *iuſtitiam* et *ſanctitatem* ducimur.

Ut tales fiamus, Deus ſe nobis optantibus et adnitentibus opem laturum eſſe promiſit, ita quidem ut voluntatis et factorum noſtrorum ſemper ratio habeatur. Quod contra eos monemus, qui (Calviniani praeſertim olim non pauci) Deum abſolute decreviſſe opinantur. Volunt enim Deum ab aeterno homines alios elegiſſe, reprobaſſe alios, hoc eſt alios ſalutis compotes, expertes alios fore, nulla quidem ſua culpa nec aliam ab cauſam quam quod illos Deus

Digitized by Google

amet, hos oderit. Quae eſt praedeſtinatio abſoluta, vox iniqua et odioſa tum naturae Dei in ſe tum claris eius teſtimoniis; quippe qui numquam non ſe vel πιςιν vel ἀπιςιαν, atque εργα vel καλα vel κακα reſpecturum conſtanter promittit. Et vero eumdem patrem coeleſtem, qui homines ſuae perniciei auctores ipſos appellat, quia ſponte peccent; qui eos fidei et factorum fructus olim deportaturos eſſe pronuntiat; qui ſub lege et conditione pollicetur et minatur, eumdem ſub eadem lege et conditione gratiae ſuae ſpecimina vel conceſſurum vel negaturum eſſe credimus.

Videndum igitur eſt, quo conſilio et quibus ſub legibus Deus gratiam ſuam promittat, ſalutem offerat, et exhibeat. Ab hac enim quaeſtione pendet vis enunciatorum, quae vel Deum proponunt προὁριζοντα, εκλεξαμενὀν, ταττοντα, vel homines inſigniunt προορισθεντας εις υιὀθεσιαν Eph. 1, 5. 11. (deſtinatos iuribus filiorum Dei fruendis); ἐκλεκτους, (delectos) 1 Petr. 2, 4. 6. τεταγμενους εις ζωὴν ἀιωνιον Act. 13, 48.

Pellit hoc nos, ut de via ac ratione ſalutis, quae offertur, conſequendae inquiramus, hoc eſt, de iis agamus, quae a nobis obſervanda ſunt, ut gratia ſalutari potiamur.

Sectio. VII.

De iis, quae a nobis obſervanda ſunt, ut Gratia ſalutari potiamur.

Deum vidimus gratiam ſuam ſalutarem omnibus hominibus paraſſe, declaraſſe, obtuliſſe, quin etiam omnes ad eamdem potiundam et fruendam invitaſſe; adeo ut nemo ſit, quin ſe evocatum et invitatum poſſit debeatque credere.

Ut autem beneficiorum oblatorum participes fiamus, neceſſe eſt, credamus, *primum* nos a Deo ad ea nanciſcenda *invitatos* eſſe, *deinde*, ut enunciatis divinis *ſidem* habeamus, *tum* ut *reſipiſcamus*, porro ut per reſipiſcentiam converſi, illuminati et regenerati ea *iuſtitiae* et *ſanctitatis* laude conſpiciamur; qua digni ſimus, qui ad ſalutem conſequendam adſpiremus, *denique* ut *verbo* divino, perenni et utili ad pietatem adminiculo ceteriſque ritibus ſapienter praeſcriptis conſtanter utamur. Liceat haec per partes proponere.

A. de vocatione.

Nos ad mentis emendationem eam, qua gratiae divinae participes reddamur, excitatos et vocatos eſſe, tum ſacrarum litterarum monumenta tum quotidiana providentiae divinae ſpecimina loquuntur. 1 Theſſ. 2, 12. και μαρτυρουμε-

Digitized by Google

νοι, εις το περιπατησαι ὑμας αξιως του θεου, του καλουντος υμας εις την ἑαυτου βασιλειαν και δοξαν.

Vocatio vel eſt *naturalis* vel *ſupranaturalis*, *illa* notitia continetur de Deo rationis uſu parabili, officiorum doctrina per animi facultatem acquirenda; accedunt vis conſcientiae, beneficia, poenae, tribulationes, exempla aliorum. His et aliis rebus quis eſt, quin ſe ad emendationem evocari ſentiat? *haec* verbo legis et evangelii abſolvitur.

Utraque autem vocatio tam naturalis quam ſupranaturalis ad omnes pertinet homines, certe quod ad intentionem Dei vocantis, omnium ſaluti providentis. Act. 14, 17. 1 Tim. 2, 4. cfr. 2 Petr. 3, 9. Io. 3, 16.

Scopus porro, qui in vocatione ſpectatur, hic eſt, ut fidem Chriſto habeamus, fiduciam in Deo collocemus Marc. 1, 15. 1 Cor. 1, 9. ut reſipiſcentes et ſanctimoniae ſtudioſi ad Dei gloriam faciamus et beneficiorum per Chriſtum paratorum ſalutisque aeternae compotes evadamus. Epheſ. 1, 4. 1 Petr. 2, 9.

Quare ſeriam iſtam credamus eſſe invitationem, quippe in qua ſanctitas et veracitas verſetur divina, Io. 17, 17., adeo ut iſta neglecta finis omnino negligatur bonorum.

Neque tamen invitatio libertatem tollit humanam, verum potius ponit; quare ſaepe quidem et vehementer movemur, numquam autem

Digitized by Google

cogimur, (Matth. 23, 37. cfr. Act. 7, 51.) et reſiſtendi facultas datur; quod contra nonnullos ex familia Reformatorum doctores tenendum eſt.

B. de Fide.

Qui invitationi obſequitur et gratia *illa* ſalutari, quae offertur, vere cupit perfrui, ab illo ante omnia poſtulatur *fides* quae ſit gratiae accipiendae adminiculum et ſalutis *promiſſae* conditio, Io. 3, 15. nec ſine huius iactura repudiari vel abiici poſſit. Marc. 16, 16. Ebr. 10, 38. adeo ut δικαιοσυνη θεου veniat εις πιςιν εκ πιςεως.

1. Fides, maxime, cernitur in aſſenſu, quem enunciatis praebemus divinis et univerſae praeſertim diſciplinae chriſtianae. Cuius aſſenſionis pars etiam haec eſt, ut Ieſum Nazarenum pro vero habeamus Dei legato, filio, meſſia, per quem benevolentia patris nobis adnunciata, parta et conſervata accidat. Io. 3, 36. Gal. 3, 14—29. Cum autem fides ſit aſſenſio ex lege morali proficiſcens et propter ſcopum iſta lege propoſitum et moraliter neceſſarium exhibita, eleganter Paulus eam (Rom. 11, 1 ſq.) opponit aſſenſioni per rerum evidentiam (ειδος) effectae; „εςι δε πιςις, ἐλπιζομενων υποςασις, πραγματων ἐλεγχος ου βλεπομενων" firma ac ſtabilis perſuaſio (ὑποςασις i.q. ἐλεγχος) rerum quae ſperantur, non cernuntur. cfr. 2 Cor. 5, 7. δια πιςεως γαρ

περιπατουμεν, ου δια ειδους." Enimvero quidquid per religionem ſanctam, ſanctitatis legi ſuperſtructam, promittitur v. c. aequiſſima beatitatis ad moralitatem diſtributio a Deo profectura; hoc non per evidentiam (ειδος) intelligitur, ſed per fidem tenetur.

2. In cauſis, cur dictis divinis fidem habeamus, eſt *tum* veracitas Dei aſſenſionem poſtulans et fide digniſſima 1 Io. 5, 20. Ebr. 4, 12. *tum* caritas, non niſi bona et ſalutaria proponens. Ebr. 11, 6. Qua propter in adipiſcenda ſalute cum aſſenſu audiendus eſt Deus aeque Chriſtus, patris ſui doctrinam prolocutus et ſalutis promovendae cauſa miſſus Io. 5, 21—23. 36. Igitur aſſenſio, quae poſtulatur, haud coeca vel temeraria ſit, ſed iuſtis et firmis nitatur argumentis.

Unde ſimul, cum fides, quae habetur, ſit libera et voluntaria, intelligitur, nos promto et lubenti animo Deo filioque docentibus aſſentientes *obedire*, contra vero, ubi minus aſſentiamur nec acquieſcamus, imo detrectemus et recuſemus, propterea recte dici *immorigeros*. Hinc fides eſt cultus ſeu λατρεια, cum promte aſſentiri, quia Deus doceat, et promiſſa libenter admittere, quia Deus promittet, pietatis ſane et verecundiae ſit erga Deum; et laudantur ſacerdotes, qui lubentes admittebant doctrinam Act. 6, 7. „ὑπηκουον τῃ πιστει, obſequebantur aſſenſioni in animis ſuis effectae," et obſequenti

cuique ſalus vindicatur aeterna. Io. 3, 36. „ὁ πιϛευων εις τον υιον εχει ζωην αιωνιον.“ Contra vero fidem repudians „ουκ οψεται ζωην, αλλ' ἡ οργη του θεου μενει επ' αυτον.“ ibid. cfr. Ebr. 3, 18 — 19 et vituperantur, qui obſtinatis animis reſiſtunt et fidem denegant. Act. 19, 9. „ὡς δε τινες εσκληρυνοντο και ἠπειθουν.“ cfr. Rom. 3, 8. 13. 15 (cp. 4, 7.) „μη σκληρυνητε τας καρδιας ὑμων, ne repugnate et obnitimini“ ἱνα μη σκληρυνθῃ τις εξ ὑμων απατῃ της αμαρτιας, ne quis veſtrum peccatorum fraudibus deceptus animo pertinaci et refractario repudiet doctrinam chriſtianam.“ i. q. αθετειν την βουλην του θεου εις ἑαυτους. Luc. 7, 30. benevolum Dei conſilium, in ſuam ipſorum perniciem, irritum reddere. cfr. Io. 12, 48. ὁ αθετων εμε και μη λαμβανων τα ῥηματα μου, εχει τον κρινοντα αυτον. ὁ λογος, ὁν ἐλαλησα, εκεινος κρινει αυτον εν τῃ εσχατῃ ἡμερᾳ.

3. Fides porro eſt vel *externa* vel *interna*. Illa circa profeſſionem verſatur ſolemnem, qua vel veterem abdicamus vel novam recipimus diſciplinam; haec animo et factis continetur, cerniturque in notitia, aſſenſu, fiducia et vita praeceptis divinis accommodata.

Quam parum nuda ſufficiat profeſſio, ſedulo urget monetque Chriſtus Matth. 7, 2. cfr. 2 Tim. 3, 5. Iac. 2, 26.

Requiritur igitur ut, quae dicta ſunt, nobis dicta eſſe credamus; ut prompto lubentique aſſenſu probemus et iis ſedulo utamur. Iacob. 1,

Digitized by Google

23. Rom, 2, 13. Quod ſit, cum aſſenſioni promtae ſe boni adiungunt ſenſus, ſpes et fiducia, in ſperando et confidendo conſtantia et fortitudo, ſtudium Deo concedendi, verecundia et modeſtia diſcendi, inclinatio ad agendum, ut fides per bonos ſenſus recteque facta ſeſe exſerat. Ebr. 6, 12. *ινα μη νωθροι γενησθε, μιμηται δε των δια πιςεως και μακροθυμιας κληρονομουντων τας ἐπαγγελιας*, ne ſegnes fiatis et animum abiiciatis, eos potius ſequamini, qui fide et perſeverantia compotes exiſtunt promiſſorum." cfr. v. 15. cp. 10, 38—39.

Neceſſe igitur eſt, ut fidenti animo (*εν πιςει*) minime ſubterfugientes (*εν ὑποςολη*) aſſenſioni, bonorum ſenſuum ope et vi ſuſtentatae, convenienter agamus et vivamus; etenim „*ἡ πιςις συνεργει τοις εργοις και εκ των εργων ἡ πιςις ετελειωθη — και ἡ πιςις, εαν μη εργα εχει, νεκρα εςι καθ' ἑαυτην*, i. q. *ον σωζουσα*, *ἧς ουδεν οφελος*. Iac. 2, 17. 22. cfr. 2 Petr. 1, 8. Eleganter in hanc rem refert. Marc. 4, 20. *το ἀκουειν, παραδεχεσθαι, καρποφορειν*. Paulus Phil. 1, 9. *επιγνωσιν και αισθησιν*, (*πνευμα* Rom. 8.) cognitionem et ſenſum (cognitione veri rectique) acrem, bene factis conſpicuum etc.

4. Res, circa quas fides verſatur, ſunt vel *hiſtoriae*, vel *dogmata*, vel *promiſſiones*, vel *leges*. Credimus igitur *primum* ea vere accidiſſe, quae de Chriſto ſacrae litterae enarrant; Rom. 10, 9. 10. 1 Cor. 15, 3. Io. 20, 29. quae eſt fides hi-

Digitized by Google

ſtorica. *Deinde* in ipſis ſacris litteris nihil ineſſe quin veram ſit et ad pietatem faciat. Ebr. 11, 2 ſq. Io. 3, 34. quae eſt fides dogmatica ſeu doctrinalis. *Porro* nobiliſſimam inſtituti ſanctioris partem eſſe in promiſſa et propter Chriſtum impetranda ſalute. Quam promiſſionem exitu ratam fore confidimus et conſtanti animo exſpectamus. Fides haec quia meritis nititur Chriſti, Rom. 3, 25. et exemplis Abrahami Rom, 4, 20. Gal. 3, 16. ac Iſraelitarum Num. 21. Io. 3, 14. illuſtratur, iuſtifica dicatur. „λογιζεται ἡ πιςις εις δικαιοσυνην.“ Rom. 4, 3 ſq. Denique leges, cum promiſſis coniunctas Matth. 7. 21. 1 Io. 2, 4. et pari auctoritate commendatas, *nobis* latas et ſcriptas eſſe, et nos iis quidem excitandos eſſe tum ad fugiendam peccandi conſuetudinem tum ad appetendam et ſequendam meliorem animi vitaeque conditionem. Quae eſt *fides* viva, *practica*, actuoſa, operoſa. Gal. 5, 6. Eph. 4, 22. Iac. 2, 14. 17. 26. et qua recti ferimur (εις φρονημα του πνευματος) in ſenſum doctrina ſanctiore innutritum Rom. 8, 6. (εις μετανοιαν και αγιωσυνην) ad fugienda mala et expetenda bona.

5. Ut autem univerſis credendum eſt enunciatis divinis, ita eam praeſertim ſacrae litterae urgent et poſtulant fidem, quae in promiſſis verſatur et ad veniam pertinet peccatorum, ſalutemque aeternam per et propter Chriſtum, eiusque nominatim mortem, impetrandam. Quae

Digitized by Google

eſt fides per eminentiam dicta εις Χριϛον, εις θανατον του Χριϛου. Io. 3, 16. Rom. 3, 25. ον προεθετο ὁ θεος ιλαϛηριον δια της πιϛεως εν τῳ αυτου αἱματι, εις ἐνδειξιν της δικαιοσυνης αὐτου, δια την παρεσιν των προγεγονοτων ἁμαρτηματων.

Eſt hic ſermo de cruce Chriſti, ὁ λογος του ϛαυρου 1 Cor. 1, 18; de Chriſto cruci affixo, Ιησου Χριϛω εϛαυρωμενῳ cp. 2, 2., hoc eſt, doctrina de cauſa, conſiliis et fructibus mortis Chriſti. Huius igitur fidei partes nominatim hae ſunt, ut vel Chriſto aſſentiamur doctori vel eius perſonam omnino talem admittamus, qualem ſe profeſſus eſt, vel per eum et propter eum eiusque mortem quaeri, exhiberi et accipi confidamus χαριν του θεου, αφεσιν και σωτηριαν, ζωην. Io. 6, 40. quam fidei partem in ſcholis dicunt apprehenſionem ſeu applicationem meriti Chriſti. Io. 1, 11. Col. 2, 6.

Haec fides tantum abeſt, ut virtutis ſtudio contradicat, ut potius vel arrogantiam deprimat vel meritis Chriſti, quod iuſtum eſt ac aequum, vindicet. Sunt enim qui ſuis ſe ſtare factis opinentur, nihilque ſibi a Deo tribui velint, niſi quod iure ſuo meritoque flagitare ſibi poſſe videantur. Hi ſine dubio modum modeſtiae et notas humanae imbecillitatis anguſtias tranſiliunt et ſuis meritis male freti beneficia Chriſti negligunt; haud memores *primum*: ex officiis obſervatis nihil effici niſi dignitatem et ſpem, minime vero ius iureque nitentem

Digitized by Google

commodorum poſſeſſionem; *deinde* praeter commoda vi iuris quaſi poſtulata amplum adhuc patere gratiae divinae campum, eamque cerni vel in remittendis, quae ante admiſſa ſunt, peccatis vel in concedendis, quae numquam merito acquiri poſſunt, bonis. In hac igitur cauſa Chriſti meritum valere et fide acceptandum eſſe, quis eſt, quin ſuae imbecillitatis gnarus ſuarumque neceſſitatum memor agnoſcat?

Neque porro vera, quod volunt, *diſcrepantia* intereſt inter apoſtolos, Paulum, qui τα εργα repudiat, et Iacobum, qui eadem commendat. Etenim Paulus haud facta qualiacumque reiicit, verum potius ea, quae ſunt legis moſaicae (εργα του νομου), his quidem neminem docet eſſe poſſe fretum et ſalutem aeternam demerere ſibi videri; neceſſe potius eſſe, ut chriſtiani quilibet, poſthabita inutili diſciplinae moſaicae ſeveritate rituumque mole, fide (quae toti diſciplinae ſanctiori, eius promiſſis, virtutis, praeceptis et beneficiis habenda eſt) diſcant ſtare et eam ſibi comparare laudem, per quam beneficiis divinis digni eorumque participes fiant. Ergo repudiata moſaicorum rituum mole, et, quae ex illis obſervatis multos inflaverat, ſuperbia et arrogantia, apoſtoli utrique fidem commendant; Paulus reiiciens diſciplinae moſaicae ſeveritatem, πιςιν commendat δι' αγαπης ενεργουμενην Gal. 5, 6. cfr. Eph. 4, 22 ſq.; Iacobus, fi-

dem ſolam ieiunam, deſidem damnans, *πιϛιν* praecipit *συεργουντα τοις εργοις, εκ των εργων τελειωθεισαν* Iac. 2, 22. Ergo utrique ſtant a partibus fidei *vel* eius, quae promittenti et benefacienti habetur Deo cerniturque in acceptandis vel commodis oblatis, vel commodorum offerendorum conditionibus et cauſis extra vires et facultates humanas (in merito morteque Chriſti beneficia) poſitis; *vel* eius, quae honeſta voluntate recteque factis ornatur; adeo ut ſecundum Paulum fides Abrahami ceſſerit in iuſtitiam ipſi, quia fidens fuerit, nullus dubitaverit, haeſitaverit; et ſecundum Iacobum, quia fidei iuncta fuerint facta Iac. 2, 23. cfr. Rom. 4, 3. Fides igitur cernitur in aſſenſione et fiducia (in imperatis et promiſſis divinis ponenda) at vero etiam in factis imperatis divinis conformibus; illud e Paulo, hoc ex Iacobo diſcimus, ita tamen ut uterque plenam fidei vim (aſſenſionen, fiduciam, obedientiam) admittat. *ἐξ εργων δικαιουται ανθρωπος, και ουκ εκ πιϛεως μονον* Iac. 2, 24. *εν Χριϛῳ Ιησου ουτε περιτομη τι ισχυει, ουτε ακρυβυϛια, αλλα πιϛις δι᾽ ἀγαπης ενεργουμενη.* Paul. ad Gal. 5, 6. Tali modo aperta eſt apoſtolorum concordia, eamdem rem diverſo reſpectu exponentium; dum alter contra rituum molem, et quam nonnulli ex ipſis obſervatis ſibi arrogabant, laudem, alter contra fidei nonnullorum pugnat deſidiam et otium.

C. de Juſtificatione.

1. Qui invitationem ad gratiam divinam ſecutus ea fertur et regitur fide, quam modo expoſuimus, dicitur iuſtus, δικαιος, hoc eſt, talis, cui, fidei ſuae cauſa, promiſſiones propter mortem Chriſti exhibitas admittenti venia peccatorum a Deo conceditur.

Eſt haec δικαιοσυνη του θεου δια πιςεως Ιησου Χριςου εις παντας και επι παντας τους πιςευοντας Rom. 3, 22. δικαιοσυνη εκ θεου ἐπι τῃ πιςει Phil. 3, 9. δικαιοσυνη θεου εκ πιςεως εις πιςιν. Rom. 1, 17.

2. Iuſtus autem ſenſu ſtrictiſſimo is eſt, qui ſuo ipſius merito ſuaque virtute coram Deo legi divinae obedientiam praeſtitit omnibus numeris abſolutam. Quo ſenſu coram Deo iuſtus eſt unus Ieſus, qui ſemper τα αρεςα αυτῳ fecit Io. 8, 29. cfr. cp. 4, 34. cp. 5, 30 ſq. Praeter Ieſum autem nemo, cum nemo legi divinae ex aſſe conveniat. Rom. 3, 10. ουκ εςι δικαιος, ουδε εις cfr. 1 Io. 1, 8. Hoc igitur modo nemo iuſtus poteſt cenſeri. Accedit autem gratia divina, homines probans, quia vel dictis omnino divinis aſſentiuntur, vel doctrinam chriſtianam cum aſſenſu ſuſcipiunt, Gal. 3, 8—11. 21. ὁ πιςευων, doctrinam chriſtianam amplectens, ſalutem nanciſcitur, δικαιουται, ευλογειται. Contra eos, qui δικαιοσυνην ſeu ευλογιαν ex lege moſ. proficiſci opinabantur. Vel denique quia promiſſionibus,

Digitized by Google

morti Chriſti annexis fidem habent, his quidem acquieſcentes, de his non dubitantes, has non reſpuentes. Rom. 3, 21. εκ πιςεως δικαιουται ο ανθρωπος, propter fidem (εν τῳ αιματι αυτου v. 25. morti eius habitam) homo abſolvitur a Deo; non habet, quod metuat cp. 5, 1. peccati veniam impetrat. cp. 4, 5—6.

3. In cauſa igitur tantorum beneficiorum concedendorum eſſe dicitur mors et meritum Chriſti, quippe qui cruciatibus et morte ſua poenas tulerit peccantium 2 Cor. 5, 19—21. qua propter peccantibus poenae remittantur 1 Io. 1, 7—9., atque qui legi divinae abſolutam praeſtiterit obedientiam; qua propter nobis ea concedantur bona, quae iuſtis tantum et proprie promiſſa ſint et conſtituta. Quidquid igitur Iudaei ex ritibus obſervatis ſperabant, gratiam divinam et veniam peccatorum ante commiſſorum, illud iam ex meritis Chriſti accidere chriſtianis legimus Rom. 4, 5. „τῳ δε μη εργαζομενῳ, πιςευοντι δε επι τον δικαιουντα τον ασεβη, λογιζεται ἡ πιςις αυτου εις δικαιοσυνην; qui quidem ritibus praeſcriptis haud operatur, fiduciam vero ſuam in Deo reponit peccata remittente et bona largiente, is propter ipſam hanc fidem et ſpem iuſtus exiſtimatur divinisque beneficiis dignus, adeo ut, repudiata rituum mole, acceptata, quae per meritum Chriſti venit, venia et gratia Dei, nihil amplius requiratur, quam ut fidem recte factis (vita Chriſti praeceptis,

non ritibus Iudaeorum moleſtis, conveniente) ornemus.

Etenim, ubi Deum homines, fidei cauſa, venia donare, probare, beneficiis ornare docemur, ibi ſacri ſcriptores contra Iudaeos hoc ſemper urgent, cauſam tanti beneficii non quaerendam eſſe in legis rituumque moſaicorum obſervatione Rom. 3 et 4. et 10. Gal. 2 et 2. Phil. 3.; magnamque Paulus in eo collocat operam ut Iudaeorum ſecuritatem et faſtum compeſcat, eosque dedoceat, ne ſe ſolos, excluſis *paganis*, cenſeant δικαιουσθαι Rom. 3, 22. neque, beneficium ſpernentes quaſi ſuperfluum, ſe dicant παντα ποιησαι, τι ετι ὑςερουμεν Matth. 19, 20.

Namque venia peccati et commoda religionis ſanctioris per gratiam divinam elargienda, Paulo docente, ad omnes omnino pertinent peccantes Rom. 3, 22. 23. igitur ad paganos etiam moſaicae legis expertes. Ergo gratia divina ex lege et oeconomia moſaica, uni genti propria, ſuſpenſa eſſe nequit, ne pagani excludantur, nec ulli homini, qui peccavit, ſpes et aditus praecludatur. Rom. 3, 27 ſq. Imo lex iſta et oeconomia potius ceſſat Rom. 3, 21. cp. 10, 4. Gal. 3, 25.; et alia introducitur conditio, πιςις, quae apud omnes nationes habeat locum. Accedit, quod haec lex, in moralibus nominatim a nullo homine exacte obſervatur, ne a Iudaeo quidem, Rom. 3, 9—20.; eſt enim non rituale ſolum et πολιτικον, quod deſcribitur, ſed

peccatum in genere, quod ab homine quoque vel pagano vel Iudaeo patratur. Ex quo fit ut omnes venia egeant, *πας γαρ κοςμος υποδικος τω θεω*, v. 19. Etenim ſi manca eſt obſervatio, relinquitur culpae locus. Unde conſequens eſſe dicit apoſtolus, cum nemo ſit, quin peccet, quin careat laude coram Deo probabili; Rom. 3, 23. *δικαιοσυνην* quoque omnibus peccantibus veniaque egentibus deſtinatam ſimpliciter eſſe habendam pro beneficio omnibus ſine diſcrimine peccatoribus ſponte oblato, minime vero pro praemio, quod certis certarum rerum obſervationibus praegreſſis demum quaeratur et concilietur. Rom. 3, 24. *δικαιουμενοι δωρεαν τη αυτου χαριτι, δια της απολυτρωσεως της εν Χριςω Ιησου*. cfr. Eph. 2, 8. Phil. 3, 9.

Ex his ſimul patet, quamquam iuſtificatio mentem hominis emendat ſenſusque in animo gignit Deo probatos et fructus fert ab honeſtate et pietate laudabiles, propter hos tamen fidei fructus hominem coram Deo proprie non iuſtificari, ſed cauſam eius vel potius inſtrumentum, *οργανον ληπτικον*, manere fiduciam in Chriſti merito poſitam. Id quod propterea in primis tenendum eſt, ne quis benefactis ſuis fretus gratiam divinam tamquam ſuo iure ſibi poſtulare poſſe videatur. Ergo debemus *ὑποτασσεσθαι τη δικαιοσυνη του θεου*, accommodare nos huic rei, *ὁ θεος δικαιοι, ὁ ανθρωπος δε δωρον και χαριν λαμβανει*, nec quisquam ſit, qui

Digitized by Google

ſtatuat, ſe commoda commeruiſſe ipſum, iactantem: „εγω ἐμαυτον δικαιω.“

4. Ne quis autem hac doctrina vel ad pietatis ſegnitiem vel ad denegandam pietati omnem ſpem praemii abutatur, illi doctrinae conſtanter annectitur altera, quae eſt de vitae ſanctae neceſſitate. Longiſſime enim abeſt ut officium, quod lege nititur immutabili et ſancta et ipſius Dei prae ſe fert voluntatem ſanctiſſimam, beneficio ullo vel oblato vel accepto tollatur aut tolli queat; ut potius ſtante Dei benevolentia et gratia omnes ſtent maneantque hominis cum homine, cum Deo ſecumque neceſſitudines et ſanctitas ipſa in opere ſpectetur illo, quod Deus per filium peragi voluit Gal. 1, 4. Epheſ. 1, 4. cp. 2, 10. cp. 5, 25 ſq. Tit. 2, 14. 1 Io. 1, 7. Quare officium hoc ipſum annectitur loco de venia ut beneficio mero et character chriſtiani eſt πιςις δι' αγαπης ενεργουμενη Gal. 5, 6. cfr. Rom. 6. 2 Cor. 6 et 7.

Magnam igitur iniuriam ſacris inferunt litteris, qui in iis veniam per mortem Chriſti oblatam et fide acceptam opponi putant ſanctitati ſtudio boni verique acquirendae; quaſi re una altera tollatur et in vanum recidat. Doctrina de venia per mortem Chriſti oblata et fide accepta viam potius munit ad ſanctitatem animi vitaeque. Illa nobis perſuadet de gratia Dei et caritate omnes in univerſum mortales complectente, docetque nihil timendum eſſe a tam li-

Digitized by Google

berali gratioſoque nomine; ipſa etiam peccata, ſi talia a nobis commiſſa agnoſcantur, non ita a Deo ſpectari ut dura quaſi fati neceſſitate in aeternam miſeriam deiiciamur, ſed eſſe Deum talem, qui ſerio ſe punientibus ignoſcat, idque, reiiectis quibuscumque aliis gentium ritibus piaculi cauſa introductis, nominatim propter Chriſtum bene de nobis merentem. Tali modo agnoſcentibus vitae ſuae peccata, propterea dolentibus et cruciatis ex optato accidit adnunciatio de gratia Dei, veniam concedente, imo beneficia adhuc plura dignis offerente. Iam quantum et quale eſt, quo ſic egemus, ut noſtra ope recuperari vel apparari neutiquam poſſit, tantum ac tale nobis promittitur, offertur nomine gratiae divinae nominatim per mortem Chriſti unice parabilis.

Doctrina de gratia iam ſic ſtante ut nihil ad illam potiundam niſi pura ſinceraque *fides* requiratur, altera ſtatim adiicitur ſententia, quae eſt de virtutis et honeſtatis ſtudio ut neceſſaria ac perenni gratiae illius potiundae et conſervandae conditione. Docent igitur apoſtoli, Paulus Rom. 2, 13. Iacobus cp. 2, 14 ſq. fidem ac ſpem gratiae potiundae ſine honeſte factis eſſe vanam ac irritam, et quemque privari ſpe praemii et praemio ipſo, qui ad vitam ſanctis praeceptis convenienter agendam torpeſcat, hoc praetexens, ſe religionis praecepta tenere (*ακροατης*) de iis ſibi perſuaſum habere (*πιςιν εχων*);

graviterque caſtigant eos, qui diſciplinam profitentes fidem a factis divellunt, cum doctrina vel tota vel etiam ea, quae eſt de gratia Dei, ideo diſcatur et ſuſcipiatur ut iuvante Deo recte facta gignat.

Duae igitur ſalutis partes nominantur, *altera* ad merum redit Dei beneficium diciturque χαρις adnunciata, oblata, ſola fide acceptanda. Hanc quidem nemo mortalium nulla ſua virtute commerere poteſt et potuit; ut *gratuitum* eſt bonum, ita Chriſtianis per Chriſtum *bene merentem* unice accidit. *Altera* ad iuſtitiam redit divinam diciturque vitae anteactae μισθος. Hac in parte docemur, et neceſſe eſſe ut virtuti ſtudeamus et convenientem factis nos ſortituros eſſe ſalutis menſuram. Ergo Deo propter Chriſtum fidentes et obſequentes duplex manet ſalutis ratio, *et* gratia potientur merisque Dei beneficiis *et* mercede fruentur factis ſuis conveniente. Χαρις proponitur et μισθος. Illa qui vult potiri, hunc ſibi acquirendum curet; hoc qui potitur, illa carere nequit. Deum veneramur gratioſum et iuſtum, h. e. peccatis ignoſcentem, bona etiam non merentibus concedentem, talem vero etiam, qui facta reſpiciat, et vitae anteactae mercedem convenientem largiatur.

Diſceptatio dehinc, quae longo tempore de bonorum operum neceſſitate iactata eſt, in vanum recidit, ſi meminerimus, doctrinam de gra-

Digitized by Google

tia cum illa de virtute arctiſſime cohaerere, noſque per gratiam ad honeſtatem duci. Sunt enim bona opera non talia, quae per ſuperſtitionem patrantur, ſed talia, quae legi ſanctitatis convenienter fiunt, uno verbo recte facta. Haec a fide divellere, eſt, ſi leniter dicam, ignorantis.

Eſt igitur iuſtificatio, hoc eſt, acceptatio gratiae divinae, qua nobis peccantibus venia et multa alia beneficia offeruntur, ad potiundam ſalutem neceſſaria. Hanc qui reſpuit veniam, qui gratiam oblatam contemnit, qui Chriſti morientis beneficia ſpernit; et ſua ſibi virtute unice ſtare videtur, a via recedit, quam ad fruendam ſalutem diſciplina chriſtiana monſtravit.

In fine monemus iuſtificationem a theologis fieri *vel* forenſem, *vel* phyſicam ſeu hyperphyſicam. *Illa* iudicium eſt ſeu actus Dei, iudicis ſupremi perſonam agentis, quo hominem, ob fidem in Chriſtum, a peccatis abſolvit et illi beneficia, iuſtis promiſſa, cum ſpe vitae aeternae adiudicat Rom. 5, 1 ſq. cp. 8, 31 ſq. *Haec* eſt actio Dei, qua hominem peccatorem ope verbi divini ſui (vi et operationibus ſpiritus ſancti) convertit ſeu illuminat et emendat. Per illam hominis verſus Deum relationem mutari, per hanc animum mutari et emendari dicunt. At diviſio omnis certo dividendi deſtituta eſt

Digitized by Google

fundamento et ſine ullo detrimento poteſt abeſſe. Actum praeterea forenſem abſolvendi et adiudicandi redire moneo ad modos humanos. Iuſtificationis phyſicae ſeu hyp. nomen parum convenit.

D. de Reſipiſcentia.

1. Qui vocationem ad gratiam divinam ſecutus, fide in Chriſtum rectus, et propterea iuſtus (inſons, liber a poenis) declaratus eſt, ab hoc divina diſciplina poſtulat μετανοιαν, hoc eſt, plenam ſtudiorum et factorum immutationem et ad normam doctrinae ſanctioris conformationem.

2. Huius reſipiſcentiae in ſenſis factisque conſpicuae, quod ad rem pertinet, expoſitio eſt: Epheſ. 4, 1. παρακαλω ουν ὑμας εγῳ ὁ δεσμιος εν κυριῳ, αξιως περιπατησαι της κλησεως, ἡς ἐκληθητε. v. 17. μηκετι ὑμας περιπατεῖν καθως και τα λοιπα εθνη περιπατεῖ, εν ματαιοτητι του νους αὐτων. v. 22. αποθεσθαι ὑμας, κατα την προτεραν αναςρωφην, τον παλαιον ἀνθρωπον τον φθειρομενον κατα τας ἐπιθυμιας της απατης, ανανεουσθαι δε τῳ πνευματι του νοος ὑμων και ἐνδυσασθαι τον καινον ανθρωπον, τον κατα θεον κτισθεντα εν δικαιοσυνῃ και ὁσιοτητι της ἀληθειας. etc. cfr. Rom. 2, 13. 17 ſq. Iac. 1, 22 ſq.

3. Ipſa autem vox της μετανοιας, quam Ieſus et apoſtoli et Ioannes etiam baptiſta a Iu-

daeis et aliis gentibus (Act. 26, 20.) poſtularunt, in genere quamcumque quidem conſiliorum deſignat mutationem Ebr. 12, 17. tum autem praeſertim eſt de ratione ſalutis petendae ac ſperandae a Deo praeſcripta, et de iis uſurpatur, qui vel a pravitate ad virtutem redeunt vel, relicta religione judaica aut ſuperſtitione gentili, doctrinam Chriſtianam amplexi novam ac meliorem mentis ac vitae rationem diſciplinae ſanctiori convenientem ſectantur Matth. 3, 8. *ποιησατε καρπον αξιον της μετανοιας* v. 11. cp. 9, 13.

Eſt igitur, uno verbo, animi vitaeque emendatio, quae poſtulatur; quaeque ſit doctrinae ſuſceptae effectus neceſſarius. 2 Petr. 1, 5 ſq. et beneficus Act. 3, 26. et fruendae ſalutis, cum nunc cum olim, conditio neceſſaria; *ειρηνην διωκετε μετα παντων, και τον ἁγιασμον, ὁυ χωρις ουδεις οψεται τον κυριον.* Ebr. 12, 14. cfr. 1 Io. 1, 7. cp. 3, 3. *και πας ὁ εχων την ελπιδα ταυτην επ' αυτω, αγνιζει ἑαυτον, καθως ἐκεινος αγνος εςι.*

4. Animi autem indoles, per reditum ad ſe Luc. 15, 17. ſeu reſipiſcentiam, inſignita his fere iudiciis, ſenſibus et ſtudiis, tamquam partibus ſuis cernitur neceſſariis.

Primum agnoſcere debemus, nos peccaſſe et paccatum eſſe obnorme, *πας ὁ ποιων την ἁμαρτιαν και την ανομιαν ποιεῖ, και ἡ ἁμαρτια εςιν ἡ ανομια.*

Deinde nos culpam oontraxiſſe et ſuſtinere 1 Io. 1, 7—10. ἐαν ἐιπωμεν οτι αμαρτιαν ουκ εχομεν, ἑαυτους πλανῶμεν; *atque* hanc oulpam noxiam nobis fore et mala importare nulla niſi emendationis via a nobis avertenda. Ex quo

porro plena iudicii de nobis exiſtat mutatio (Rom. 6, 20—21. τινα ουν καρπον ειχετε τοτε, εφ' οις νυν ἐπαισχυνεσθε; το γαρ τελος ἐκεινων, θανατος.) *et* αξιοποινους nos cenſeamus ipſos, et peccata, quae admiſimus, ſine ulla vel excuſatione vel exceptione, abnormia et noxia concedentes improbemus atque cum poenitentia et animi demiſſione doleamus. 2 Cor. 7, 9. 10. νυν χαιρω, ουχ οτι ἐλυπηθητε, αλλ' οτι ελυπηθητε εις μετανοιαν. ελυπηθητε γαρ κατα θεον, ἱνα εν μηδενι ζημιωθητε εξ ἡμων. ἡ γαρ κατα θεον λυπη μετανοιαν εις σωτηριαν αμεταμελητον κατεργαζεται. ἡ δε του κοσμου λυπη θανατον κατεργαζεται, cuius doloris exempla vide Luc. 15, 19. cp. 18, 13.

Peccatorum igitur agnitionem animi ſequatur dolor et moeror, qui par varia ingeniorum indole, delictorum mole et gravitate varios admittit gradus; inter quos vehementiorem quemdem nomine contritionis, (voce ad verbum hebraica Pſ. 51, 19.) placuit ſignificari. Rei caput autem eſt, ut, agnito vere peccato, doleamus, quod facta a voluntate divina abnormia et nobis noxia patraverimus; ut cum animi demiſſione concedamus, nos culpam commeruiſſe non beneficium; αξιοποινιαν in nos quadrare, non iuſti-

tiam. Hoc qui de ſe iudicat et ſentit, is peccatum confitetur, cui oris prolocutio, id proferens, quod in mente eſt, poteſt iungi. 1 Io. 1, 8 ſq. Pſ. 32, 5. Ier. 2, 35.

Quodſi quis veniae neceſſitatem ſentiat, veniamque ipſam pro mero magnoque habeat beneficio et evergetam redamet ſuum; Rom. 3, 4. ſi emendationem cenſeat neceſſariam, eamque pro magno habeat bono; ſi propterea ſibi, aliter appetere et ſe gerere et nominatim diſciplinae chriſtianae convenienter vivere proponat; ſi huic ſtet propoſito et doctrinam ſemper reſpiciens ſanctiorem ad bonum quodvis propendeat eiusque ſtudio feratur; ſin a malo alienus nihil pravi appetat, faciat, imo potius contra nitatur, Gal. 5, 17. 24. tunc eius animi vitaeque indoles vere dici poteſt emendata.

5. Quamquam nulla omnino ſanctioris diſciplinae eſt enunciatio, quin ad animi morumque faciat emendationem 2 Tim. 3, 16. 17. in primis tamen huc referenda ſunt capita, in quibus vel, ut peccata agnoſcamus et peccati miſeriam agnoſcamus, monemur; vel de gratia Dei per Chriſtum et propter eumdem nobis elargienda edocemur.

Ut autem quam clariſſime nobis de reſipiſcentiae imperatae neceſſitate perſuadeamus, tota praeſertim ſpectanda eſt de officiorum natura et argumentis doctrina; ex qua eluceat, officiorum rationem ſcopum proponere tum pe-

Digitized by Google

rennem tum in ſe infinitum, ad quem non niſi perenni et infinito recte faciendi ſtudio liceat eſcendere; argumenta porro eſſe talia, quae ex ſolius legis ſanctae et officiorum imperatorum pondere petantur, adeo ut officiorum obſervatio cum pietate erga Deum, recte factorum et pietatis remuneratorem, arctiſſime cohaereat.

Eum tandem, qui enunciatis iſtis bene probeque cogitatis, inter ſe et cum religionis ſumma ſobrie collatis et expenſis fruitur, vera et ad mentem Chriſti conformata animi *indole* cerni teſtatur ſacra ſcriptura. Atque hoc eſt, quod *πνευμα* dicitur Rom. 7, 6. Gal. 5, 16. 17. *φρονημα πνευματος* Rom. 8, 5—6. *φρονησις Χριςου* Phil. 2, 5. *φρονησις δικαιων* Luc. 1, 17. *καρδια* cfr. Rom. 2, 29. *ὁ νους, ὁ εσω ανθρωπος* Rom. 7, 22, 23.

Ergo hominis emendandi initiam fit ab animo, iſtis, quae diximus, ſenſis et cogitatis imbuto. Ab hoc porro iſta, quae imperatur, perfectio moralis inchoari et proficiſci debet; et ſic animi bene efformati indolem facta ſequantur diſciplinae univerſae congrua Eph. 2, 10. Ebr. 13, 21. *εργα καλα, αγαθα.* Iac. 1, 4. *εργον τελειον.*

6. Variis praeterea haec animi morumque converſio nominibus ſignificatur. Rem omnem vox metanoias exhaurire videtur, atque ex hac, quae ceteroquin afferuntur, dictionum formulae interpretandae ſunt. Huc referuntur verba re-

Digitized by Google

novationis, novae creaturae, hominis novi, regenerationis, ſanctificationis, quibus aut immutatio, maxime, animi, aut vitae omnino morumque emendatio innuitur, qui eſt animi a morali labe ad honeſtiorem indolem, tranſitus, επιςροφη Luc. 1, 17. Matth. 18, 3. ἀνακαινωσις Epheſ. 4, 23. 24. Rom. 6, 4. Tit. 3, 5. αναγεννησις 1 Petr. 1, 23. Io. 3, 6. ηγνισμενος την ψυχην v. 22. ἁγιασμος του πνευματος 1 Theſſ. 5, 23. ἁγιασμος σωματος v. 27. 1 Petr. 1, 5. Uno verbo μετανοια Luc. 3, 8. 2 Cor. 7, 9—11. Matth. 9, 3.

Senſum his verbis moralem ſubeſſe et id maxime imperari ut ex homine prave cogitante et faciente (σακρικω) fiat recte cogitatorum et factorum ſtudioſus (πνευματικος) facile perſpicimus; quamquam non prorſus negaverim etiam phyſicam quandam verbis ineſſe poteſtatem, adeo ut ex animi ad meliorem frugem reditu etiam naturae ſeu indolis ſenſibilis quaedam enaſci dicatur redintegratio. Quod quidem ab ordine et nexu, inter ſenſibilem atque intelligibilem naturam ſtabilito neutiquam alienum, imo probabile eſt.

Iisdem interdum verbis merum a Iudaiſmo et paganiſmo ad diſciplinam chriſtianam tranſitum ſignificari damus, ita tamen, ut integrae ſimul emendationis ſemper rationen haberi ponamus. Hoc enim ſemper ibi ſimul inculcari videmus, ubi de mutata aut mutanda religionis perſuaſione, profeſſione et exercitio ſermo eſt;

Digitized by Google

quemadmodum ἐπιστροφὴ 2 Cor. 3, 16. Act. 14, 15. cp. 15, 3. 19. cp. 26, 18. μετανοια. Act. 2, 38. cp. 11, 18. cp. 17, 13. ανακαινωσις Gal. 6, 15. cp. 5, 6. αναγεννησις Iac. 1, 18. ἁγιασμος 1 Cor. 1, 2. 1 Petr. 2, 9.

Cum haec varia, quae attulimus, nomina circa eamdem rem verſentur, theologis tamen ea diſcernere et ſingulis vocibus ſuam quibusque anguſtiorem ſignificationem tribuere, placuit; adeo ut regeneratio ſit fidei et virium ſancte vivendi donatio; converſio ſit doloris de peccato ſeu poenitentiae, fidei, propoſiti boni effectio et ipſius vitae melioris adiunctio; poenitentia (μετανοια) ſit contritio, fides et vita ſanctior; renovatio denique aut ſanctificatio ſit propoſiti et vitae melioris effectio, quam etiam novam dicunt obedientiam.

7. Verſionem vocis μετανοιας latinam, vertitur autem poenitentia, non ubivis rem, verbo graeco expreſſam, exhaurire, viri eruditi ſaepenumero iam monuerunt, Poenitentiae enim notio 2 Cor. 7, 8. ſq. per verba μεταμελεια et λυπη potius exprimitur, quam ſequi dicitur μετανοια hoc eſt emendatior animi et vitae ratio. Pariter cavendum eſt, ne voce teutonica, die Buſſe, utentes falſae per etymologiam inductae ideae locum demus. Nihil enim luimus, cum μεταμελομεθα, λυπουμεν, μετανοουμεν, verum magno potius beneficio beamur; etenim λυπουμεθα εις σωτηριαν neque ille ſenſus λυπης vim habet

inflictae ſibi ab homine poenae aut ſatisfactionis pro peccatis et meriti ad veniam.

Scholion

Iſta de metanoia doctrina inter praeſtantiſſimas diſciplinae ſanctioris numeranda eſt praeceptiones. Id enim proponit, quod, ſi unum eſſet, quo Chriſti inclaruiſſent conſilia, haec quam ſanctiſſima et ſaluberrima declaraviſſet.

Eſt enim μετανοεῖν ad mentem redire ſanam, εις ἑαυτον ερχεσθαι, quod, ſi principio diſciplinae chriſtianae toties a Ieſu eiusque apoſtolis propoſito compares, mentis omnino intemeratam legislationem propriam, αυτονομιαν ſignificare haud dubitabis.

Ergo in limine templi chriſtiani diſcas reſipiſcere, hoc eſt, animi legem propriam, intemeratam rectitudinem et ſimplicitatem cognoſcas, cognitam adames, adamatam ſequare. Quod ad ſinceram virtutis ducere reverentiam, ad communem et univerſum generis humani invitare amorem, ad infuſcatam denique erga Deum excitare verecundiam, quis eſt quin videat?

Habes, quale ac quantum tibi ante oculos proponat diſciplinam ſuam adeunti Chriſtus et qua ſub lege et conditione tibi poſſit velitque exiſtere ſalutaris inter te atque Deum tuum interpres. O uberrimam diſciplinam cuique qui

animo voluerit complecti, et ſequi, quod oculis et auribus quaſi obiicitur.

Sectio. VIII.

De

Adminiculis ad gratiam et ſalutem potiundam a Deo ordinatis, in primis de verbo divino.

1. Hactenus vidimus a Deo nobis gratiam offerri et quid a nobis faciendum ſit, *ut illa* potiamur; iam cognoſcamus quae ceteroquin adminicula a Deo ordinata et ſtudiorum emendatio iuvetur et alatur, ut gratiae et ſalutis promiſſae compotes evadamus et maneamus, nobis ſobrie et perſeveranter utendum ſit.

In primis tantae rei in nobis perficiendae et conſervandae adminiculis verbum nominatur divinum cum ceteris Dei operationibus ad nos pertinentibus coniunctiſſimum.

2. Per verbum Dei hic non intelligendae ſolum ſunt litterae ſcriptae, ſed vis praeſertim et ingenium, quod illis in univerſum ſubeſt et uno verbo ſaepe *πνευμα* dicitur in litteris et per easdem efficax et operans. Univerſam igitur huc pertinere doctrinam divinam, tenendum eſt. Rom. 8, 2. *ὁ νομος του πνευματος της ζωης εν Χριςω* cp. 10, 17. *το ρημα του Θεου* Io. 8, 32. *ἀληθεια.* 1 Petr. 1, 23. *ὁ λογος ζωντος Θεου και μενοντος εις τον αιωνα.*

Digitized by Google

3. Eſt igitur doctrina revelata adminiculum, quo ad fidem et emendationem adduci debeamus, idque propterea praeſertim, quod Deus pater et filius et ſpiritus ſanctus per illam in nobis operantur et operantes a nobis audiri et accipi volunt. Praecipue autem emendationis opus in nobis perficiendum, quatenus a verbo pendet divino, ad ſpiritum ſanctum refertur; is enim a patre et filio dari mittique dicitur, ut beneficio ſalutari nos impertiat; *πνευμα σοφιας και αποκαλυψεως εν επιγνωσει ἀυτου* Eph. 1, 17. cfr. cp. 3, 16. *εις το περισσευειν ὑμας εν τῃ ἐλπιδι, εν δυναμει πνευμα του ἁγιου.*

4. Quodſi igitur doctrina nos ad fidem et emendationem ducere dicitur, in eadem ſemper coniunctim cogitandi ſunt tum Deus pater, tum filius, tum ſpiritus ſanctus, tamquam cauſae efficaces et adiutrices, unum idemque, uno eodemque animo, conſilio et ſcopo ſpectantes. Ducamur itaque verbo divino a Deo patre per filium revelato et per ſpiritum ſanctum efficace. Iac. 1, 8. 1 Petr. 1, 3.

Hae enim cauſae minime ſunt disiungendae, et ubi una nominatur, ibi altera ſemper addenda eſt. Etenim idem quod *ἡ ἀληθεια* Io. 8, 32. facit, v. 36. facere dicitur *ὁ ὑιος* (*ελευθερωσει υμας*) atque 1 Cor. 1, 5. *ὁ θεος εν Χριςῳ*. ſeu *ὁ θεος αναςησας τον παιδα αυτον, Ιησουν ευλογουντα ὑμας, εν τω αποςρεφειν ἑκαςον ἀπο των πονηριων ὑμων.*

5. Iam ſi quaeras, qui fiat, ut verbi divini tantae in homine emendando ſint partes, tenendum eſt, iſto nos verbo edoceri, quid et quare credendum ſit, quae indoles animi et cur appetenda ſit, quae vita et quare vivenda ſit. Etenim ſi neſcias, quid credendum, appetendum et vivendum ſit, ſi argumenta te fugiant, quibus motus iſtud credas, appetas et vivas, certe adminiculo ad fidem et reſipiſcentiam deſtitueris neceſſario. Haec *una* verbi ſanctioris eſt vis et efficacia; *altera* in impedimentis cernitur removendis iis, quae hominis fidei et emendationi intrinſecus obſiſtunt. Quidquid igitur docendo removeri poteſt, ignoratio, errores, opiniones ante captae, τυφλωσις, σκοτος, ατακτος επιθυμια, φρονημα της σαρκος, (virium defectum, imbecillitatem naturalem, naturam vocant theologi) hoc omne Chriſtus et apoſtoli docendo removerunt. In primis autem huc pertinet cupidinum vis, animi a diſcendo agendoque alieni affectio et diſcendi agendique difficultas — quae quidem per efficaciam verbi divini feliciter ſuperantur; ὁ δε πνευματικος ανακρινει τα παντα 1 Cor. 2, 15. cfr. Io. 3, 18. cp. 8, 43.

Per doctrinam igitur fit ſanctiorem ut et velimus et poſſimus diſcere, credere, meliorem ſenſum ſumere et melius vivere. Ieſus enim docens effecit, ut homines audirent, viderent, intelligerent, διηνοιξε τας ακοας, τους οφθαλμους, τον νουν, (του συνιεναι τας γραφας Luc. 24, 25.)

την καρδιαν Act. 16, 14. confr. 2 Marc. 1, 4. Ita enim docendo notitiam exhibens et perſuadens effecit ut animi audientium ad diſcendum, aſſentiendum et agendum excitarentur. Cum autem porro modum deſcriberet, fructum, argumenta et adminicula agendi, effecit ut animi diſcentium vellent probare et agere et contraria omittere. Ergo ex verbo divino et facultas et voluntas doctrinam ſanctiorem ſuſcipiendi et ſequendi efficitur. Quod eſt, Deus per doctrinam ſuam dat vires et facultatem (ἱκανυτητα) iis, quae docentur, aſſentiendi, ea quae proponuntur, probandi et expetendi; ἑλκυει, trahit, i. e. vires, facultates et occaſionem ſuppeditat Io. 6, 44. ουδεις δυναται ελθειν προς με, εαν μη ὁ πατηρ, ὁ πεμψας με, ελκυσῃ αυτον. iq. v. 65. ἑαν μη ᾖ δεδομενον αυτῳ εκ του πατρος μου.

6. Quodſi nobis Deus exhibuit doctrinam ſeu inſtitutionem, quae aptum nobis finique aſſequendo eſſet adminiculum, hoc eſt, quae *et* cum natura noſtra morali conſentiret, non coeca neceſſitate ſed libere et ſponte movenda et regunda; *et* finibus ſatisfaceret aſſequendis; qua quidem utentes et pie aſſentientes iuſta imbueremur ſcientia, vita factisque emendaremur, tranquillitate frueremur et, ita praeparati futuris, ſempiterna olim felicitate revera potiremur; Iac. 1, 21. εν πραυτητι δεξασθε τον ἐμφυτον λογον, τον δυναμενον σωσαι τας ψυχας υμων animo obſequioſo accipite doctrinam nobis traditam, quip-

pe quae animos poſſit beare veſtros. Rom. 1, 16. το ευαγγελιον του Χριϛου — δυναμις θεου εϛιν εις σωτηριαν παντι τῳ πιϛευοντι. ſequitur, Deum Χριϛον δυναμιν και σοφιαν (1 Cor. 1, 18. 24.) nobis proponendam curanti morali nobiscum agere modo; hoc ſuae naturae et voluntatis ſanctitate permotum cum hominibus velle agere legi ſanctae ſubditis et libere agentibus. Hinc vim, qua Deus nos moveri et pelli cupit, verbo declaravit ineſſe ſuo, doctrinaeque ſuae argumentum ea vigere efficacia ut per illud illuminari et converti, hoc eſt, ad fidem et emendationem duci poſſimus.

Qua propter Deus verbo ſuo reluctantem nec trahit nec cogit, ſed doctrina ſua utentem, libere audientem, aſſentientem, obſequentem adiuvat. Utendum igitur nobis eſt doctrina, hoc eſt, diſcenda ſunt ea, quae traduntur; diligenter cogitanda et repetenda ut certior in dies et amplior fiat noſtra rerum divinarum cognitio; ad ſingulas vitae partes et cauſas transferenda et ſemper animo praeſentia ſervanda, ut pietatis et honeſtatis incrementa capiamus, „εν καρδια καλῃ και αγαθῃ ακουσαντες, τον λογον κατεχοντες και καρποφορουντες εν ὑπομονῃ Marc. 8, 15. doctrinam acceptam continentes (recondentes) et recte factis demonſtrantes.“

Haec in univerſum ſunt quae de ſacrarum litterarum ad reſipiſcentiam vi et poteſtate teneantur. Magnum hinc doctrinae pretium elu-

Digitized by Google

cere, gratoque divinam inſtitutionem animo eſſe accipiendam, nemo inficiabitur, niſi qui coeço libidinum niſu diſciplinae ſalutari reluctari ſatius putat, quam bonis praeceptis et ſenſibus imbui. Vis ceterum verbi divini haud dubie eſt moralis et in ipſo doctrinae argumento poſita. De nomine vero, quo haec vis appellanda, de claſſe rerum, ad quam ſit referenda, inutiliter concertatur. Virtus utique doctrinae ineſt ſupranaturalis, ut quidquid moralem hominis attingit indolem, ſupranaturale eſt, hoc autem non impedit, quo minus verbum divinum vim ſuam in hominem moraliter, hoc eſt, legibus finibusque libertatis convenienter exſerat. Quod ſi facit, ſcopo reſpondet ſuo.

7. Haec, quae diximus, ſi ſobrie expenduntur, non difficile eſt intellectu, fidem et emendationem opus ſeu effectionem eſſe Dei. Neque porro impeditum eſt, quo ſenſu, illud Dei eſſe opus, accipiendum ſit. Deus enim per doctrinam ſuam nobis adminiculum exhibuit et nobis illo adminiculo utentibus per ſpiritum ſuum ſic fert auxilium ut noſtrum in uſu doctrinae ſtudium ſucceſſu ſecundet.

Etenim *ουτε ὁ φυτευων εϛι τι, ουτε ὁ ποτιζων, ἀλλ' ὁ αυξανων θεος*, Deus felicem ſucceſſum largiens. 1 Cor. 3, 7. cfr. Act. 16, 14. *ἡς ὁ κυριος διηνοιξε την καρδιαν, προσεχειν τοις λαλουμενοις υπο του Παυλου.* Deus fecit, ut mulier audiens intelligeret, intellectisque aſſenſum praeberet. —

Quapropter, Paulus inquit, rogo patrem, ινα δωη υμιν — δυναμει κραταιωθηναι δια του πνευματος αυτου εις τον εσω ανθρωπον Eph. 3, 16.

Illud vero Dei auxilium diſerte coniungitur cum ſtudio et niſu hominis, ita ut nos conſtantiae operam dantes Dei demum auxilio et beneficio conſtantes exiſtamus, ςηκετε και κρατειτε — αυτος δε ὁ κυριος ὑμων Ιησους Χριςος, και ὁ θεος και πατηρ υμων ὁ αγαπησας υμας και δους παρακλησιν αιωνιαν και ελπιδα αγαθην εν χαριτι 2 Theſſ. 2, 15 — 17. cfr. Iud. 20. 21.

Hinc intelligendum, quid ſit, quod precibus tale auxilium expeti dicatur Pſ. 119, 18. 27. quod alter alteri illud apprecetur Col. 1, 9 11. Epheſ. 1, 15 ſq. Ebr. 13, 21. Act. 20, 32. Cingimur enim impedimentis infinitis tum externis tum internis et propterea monemur, ut in noſtro ſtudio et opere ſimus verecundi, nec nobis ſolis omnia tribuamus, cum proprie et ad extremum omnis ſucceſſus et fructus divino debeatur beneficio, ὁ θεος γαρ εςιν ὁ ενεργων εν υμιν και το θελειν και το ενεργειν υπερ της ευδοκιας. Quam ob cauſam noſtrae noſmetipſi quidem ſtudeamus ſaluti, at verecunde et pie, μετα φοβου και τρομου την ἑαυτων σωτηριαν κατεργαζεσθε Phil. 2, 12—13.

8. Iam vero, quid et quantum vel homo vel Deus faciat, ubi quandove Deus vel homo incipiat deſinatve, quid et quando Deus ſolus agat et homo aliquid conferat, hoc non magis

in hac re, quam in ullis vitae communis inceptis opus eſt anxie definire, cum ſacri ſcriptores ipſi definiant nihil, verum ſtudium potius noſtrum cum auxilio divino in univerſum iunctum eſſe velint.

Utamur igitur doctrina et pietati operam demus, ſpe laetabili ſimul freti et erecti, Deum ſtudia noſtra ſic ſecundaturum eſſe, ut ipſa illa doctrina, quae nos erudire et emendare poteſt, quae nobis erudiendis et emendandis deſtinata eſt adminiculo, per quam Deus erudire et emendare vult et ſolet, ut illa ipſa nos revera erudiat et emendet, Deo quidem uſum doctrinae ſecundante.

Quod igitur ſtudioſius finivere: „Deum in initio emendationis et converſionis (επιςροφης) ſolum operari“ primos in animo motus et bonorum propoſitorum deſiderium excitare; „hominem vero in progreſſu cooperari,“ factum eſt, ut pelagianismo et ſemipelagianiſmo occurreretur componerenturque controverſiae ſynergiſticae. cfr. Muſaei praelect. in Form. Conc. p. 88. ſq. Quodſi quis Deum ſolum ab initio operari et movere dicat, teneat ſimul hominem audire et noſſe debere doctrinam et audientem demum ſcientemque affici a Deo (mediate) primis illis motibus.

Auxilium vero ipſum, quod hominibus doctrina divina utentibus per Deum et ſpiritum ſanctum accidit, variis nominibus placuit ſigni-

ficari: ut actio, operatio, ſpiritus ſancti concurſus, elevatio efficaciae moralis (auctore Calixto et Muſaeo), unio myſtica ſpiritus ſancti cum verbo, tractio, taetus (Bertling. p, 223), gratia, gratioſae Dei operationes. Verba poſſunt teneri, modo ne quid detrimenti capiat res ipſa. Rei enim cardo in eo verſatur, ut praeceptis ſanctis aſſentientes et operantes Dei ſimul auxilio et beneficio nos frui pie credamus.

9. Caveamus igitur, ne in fanaticorum et enthuſiaſtarum incurramus opiniones, omnia inexplicabili modo fieri contendentium et propterea myſticorum. Parum enim caute et ſacris enunciatis minus convenienter cenſent, Deum ipſum, nullo utentem adminiculo (immediate) homines edocere et immutare. Quod ut fiat, neceſſe eſſe volunt, ut homo ab ſemetipſo et rebus circumiectis ſe abducat, et totum ſe intrinſecus ad contemplandum convertat; hoc demum modo hominem redire ad Deum cum eoque uniri.

Quae opinio in contemtum doctrinae ſcriptae nonnullos homines adduxit, via *καθαρσεως* et *νεκρωσεως ἑαυτου* et *αναχωρησεως*, nec non *αναθεωρησεως* ad *Φωτισμον* et *κοινονιαν μετα του θεου* ſeu ad *ἀποθεωσιν* pervenire putantes. Eſt utique aliquid veri in ſententia iſta, at caute circumſpiciendum, ne verborum involucris rem liquidam et apertam obſcuremus. Eleganter quidem in ſacris litteris pro inſtitutione eſt illu-

minatio φωτισμος ſive a doctoribus ſive a Deo proficiſcens; et pro ipſo verbo λογω, lumen, φως; cum per inſtitutionem animis quaſi lumen affundatur. At iſta dicendi formula in ſuperſtitionem haud eſt abutendum. cfr. Act. 13, 47. Io. 1, 9. cp. 5, 35. Eph. 1, 18. cp. 3, 8. 9. Porro Χριςος εν ημιν eſt verecundia erga illum noſtra, religio nobis per illum oblata ſeu ſcientia eius religionis et animi ſenſus ad eius diſciplinam conformati Rom. 8, 10. Col. 1, 27. Pariter Dei et ſpiritus ſancti habitatio in nobis eſt vel ſcientia religionis et melior inde orta animi indoles, ut Rom. 8, 9—11. vel conſtans et perpetua erga pios probosque Dei benevolentia Io. 14, 23. cp. 17, 26. Similiter Chriſtiani ναος του θεου, του πνευματος ἁγιου dicuntur, 1 Cor. 3, 17. cp. 6, 19. hoc eſt, ipſi ſunt conſecrati, ſacer Deo eſt coetus Chriſtianorum; quare caveant, ne ſe profanent, ne per ſcelera et errores divina ſocietate ſe indignos faciant. Unio denique ſeu communio, κοινωνια, hominis cum Deo eſt eius, qui Deum novit eſt colit, ideoque cum Deo conſentit, unitus eſt, vel ſtatuendo vel agendo. Ex quo accidit, ut Deus ei beneficia, ex cognitione et cultu orta, exhibeat, ei adſit, ab eo haud alienus ſit. Io. 17, 23. 1 Io. 1, 3. cp. 2, 5. 6. cp. 4, 6. 1 Cor. 6, 17,

Sunt rurſus alii, qui magni quidem facientes doctrinam eaque ſedulo utentes interdum tamen ſingulares, repentinos et acriores ſenſus

experiri ſibi videntur; quos quidem ab effectione Dei ſupranaturali et myſtica, quae percipi non explicari queat, repetunt, cum tamen ex uſu doctrinae ipſo, ex vi verborum, ea ſententiarum gravitate, dictorum pondere, et aliis rebus commode poſſint debeantque derivari. Talibus ſenſibus conſtare volunt unctionem, obſignationem et Dei in homine inhabitationem. Quae opinio eo vitioſior eſt, quo quis vehementius in iſtos ſenſus nititur, quo cupidius eos exſpectat atque in iis *propemodum* arcem religionis ſitam eſſe cenſet. Ex quo fit, ut non ſolum ſententiam praecipitantes ſenſus eos immediate a Deo effectos et animo iniectos opinentur, quorum cauſam et occaſionem aliam ipſi vel neſciunt nec animadvertunt, vel interdum nec ſcire nec animadvertere volunt; ſed etiam viam praetereant in ſacris litteris praeſcriptam, quae ſtudium imperant aſſiduum tum cognoſcendi tum appetendi, quidquid veri bonique proponitur. Atque ſic diligenter cognoſcentes et ſedulo obtemperantes certi eſſe iubemur de gratia, auxilio et beneficio divino. Qui vero ſibi otioſe exſpectanti ſenſum acriorem iniici putat, haud meminit, quamvis enunciationem divinam vi pollere ad eruditionem et emendationem graviſſima; hanc ſequatur ipſum nunquam non edocentem, monentem, impellentem et hanc ſequens de Dei auxilio, cuncta ſua coepta benevole ſecundantis, certus ſit.

10. Antiquiſſimis temporibus doctores quique in motibus et operibus chriſtianis vim divinam et gratiam auxiliatricem eſſe ſimpliciter et αμαχως, ut ſolent, tenuere. Ab Auguſtini vero aetate magna cum animorum et opinionum diſcordia in dies nova formularum, quaeſtionum et ſubtilitatum materia adaucta eſt necdum compoſita.

Quaeſtio autem, inter Pelagium et Auguſtinum exorta, praecipue in eo verſata eſt, quid homo, deſtitutus doctrinae in ſacra S. comprehenſae uſu, auxilioque divino, in rebus ad religionem ſacra S. comprehenſam pertinentibus ſcire, velle et agere queat nequeatve.

Nam cum Pelagius non aliam gratiam ſeu operationem confiteretur, quam quae eſſet mediata, nec tyrannidem quaſi gratiae, vim viribus humanis inferentem, vellet concedere, Auguſtinus autem graviter obſtrepens auctoritate artibusque ſuis in occidente praevaleret; multorum ingenia poſt eum laborarunt, *vel*, ut exponerent, quid gratiae praeparantis, praevenientis, operantis, cooperantis, ſeu incipientis, perficientis, conſervantis; *vel* ut initia gratiae ſtatuerent (de quibus cum Semipelagianis concertatum eſt) *vel* ut habitum operationis divinae ad praedeſtinationem definirent (in quo cum Auguſtino Calvini ac Bezae ſcholae, atque Ianſeniſtae diris formulis uſi ſunt.) *vel* ut virium humanarum ſeu liberi arbitrii cum operatione

Digitized by Google

divina coniunctionem declarare tentarent; vel denique ut modum explicarent, quo ſpiritus ſancti operationes cum doctrina Chriſti vel ſacrarum S. copularentur.

Omnem huius diſputationis hiſtoriam, controverſiarum quaſi ſylvam, emetiri et pertractare, herculei foret laboris; nec enim ullus theologiae locus, hoc qui eſt de gratia et libero arbitrio, vel prolixior eſt opinionum varietate vel diffuſior propter diuturnas lites vel impeditior formularum ſpinis, ſubtilitate non minus quam barbarie dictionis graviter pungentibus. Quare paucis, quae rem ipſam attingunt, defungamur.

In cenſum nonnulla veniunt vocabula et dictionis formulae; natura, gratia, libero arbitrio carere in ſpiritualibus, liberum arbitrium habere in naturalibus.

Natura ſtatum ſignificat hominis nondum per doctrinam Sacrae S. perque divinum auxilium edocti emendatique, quatenus ille quidem res, quae ad religionem Sacra S. comprehenſam pertinent, absque divino auxilio ſcire velle et agere poteſt aut non poteſt; quatenus ſcit neſcitve, vult vel non vult, agit vel non agit.

Res autem admodum diverſae (religio naturalis, officia lege naturali duce praeſtita, rurſus inſcientia religionis ſacra S. comprehenſae, omnino vita ſceleſta, nominatim vacuitas a pietate ad doctrinam Sacrae S. conformanda) in

unum hoc verbum coniectae ſunt, ut haud miremur, parum diligenter eos interdum locutos eſſe, qui ſubiecto, tot res heterogeneas complectenti, eadem tribuerent praedicata.

Gratia vel eſt auxilium a Deo homini praeſtitum, ut res iſtas poſſit ſcire velle et agere *vel* ſtatus eſt et facultas hominis per doctrinam auxiliumque Dei iam edocti et emendati.

Libero arbitrio carere in ſpiritualibus eſt ſine doctrina ſacrae S. et auxilio Dei non poſſe ſcire et exercere ſpiritualia ſeu religionem ſacrae S. Contra vero

liberum arbitrium habere in naturalibus eſt natura et ratione duce Deum poſſe cognoſcere et varia officia praeſtare. Chemnitius (loc. theol. p.1. p. 166.) mavult locum dici de viribus humanis quam de libero arbitrio. Qua correctione caveri potuiſſet, ne libertatis humanae, quam in metaphyſicis, ethicis et pſychologicis deſcribunt et vindicant philoſophi, de qua hic vero ſermo plane eſt, mentio admixta eſſet. At negari tamen nequit inter vires humanas principem locum tenere libertatem hominis dynamicam et ethicam.

Gratia porro, quando pro divino eſt auxilio, eſt *vel* operans, in initio converſionis hominem adiuvans ubi Deus ſolus per doctrinam primos motus pios operatur. Quae nonnullis etiam eſt gratia praeveniens; atque ad quam

alii varios quoque rerum ſecundarum adverſarumque caſus variasque referunt occaſiones, quibus Deus interdum utitur ad hominem commonefaciendum, quo facilius ad ſe redeat et ad reſipiſcentiam alliciatur, cuiusmodi viae providentis Dei dici ſolent etiam παιδαγωγια et προπαιδευματα.

Haec omnia, quando ſine iſtis vocabulis novis et a theologis uſurpatis exprimuntur, dilucidius et accuratius et vero etiam ad uſum et inſtitutionem popularem accommodatius poſſunt proponi.

Primum homo teneat quisque, ſe praeditum inſtructumque eſſe ratione et boni malique conſcientia per rationis legem mota et recta, ſeque ducibus his uſum et cognoſcere varia de Deo et varia atque adeo multa recte agere poſſe. Sciat vero etiam, cognoſcendi cauſa ſibi exhiberi alia quaedam in ſacra S., agendi cauſa per eam pectus in primis et interiorem pietatem formari.

Quodſi per religionem in ſacra S. traditam varia et ſibi propria naturali addantur religioni; ea diiudicare et probare nequit, qui non eſt edoctus religionem ſacrae S., aut, ubi edocetur, opinionibus ante captis impeditus detinetur. 1 Cor. 2, 14. ψυχικος δε ανθρωπος ου δεχεται τα του πνευματος του θεου. μωρια γαρ αυτῳ εςι και ου δυναται γνωναι, οτι πνευματικως ανακρινεται.

Haud igitur repudianda eſt ſacrae S. doctrina.

Deinde qui inſcitia, opinionibus ante captis et libidinibus coepit liberari; qui vi et poteſtate doctrinae ad meliora adducitur, verbumque divinum non poteſt non probare; idem

agnoſcat quoque neceſſe eſt, Dei in ea re cerni beneficium, ab ipſo nobis ſponte oblatum et ad eum unum referendum.

Sunt *denique* in homine, ſunt extra eumdem multa et graviſſima aſſenſionis et emendationis impedimenta Io. 5, 44. πως δυνασθε υμεις πιςευσαι, δοξαν παρα αλληλων λαμβανοντες, και την δοξαν την παρα του μονου θεου ου ζητειτε cfr. cp. 8, 43 ſq. Epheſ. 4, 18. εσκοτισμενοι τη διανοια, οντες ἀπηλλοτριωμενοι της του θεου, δια την αγνοιαν την ουσαν εν αυτοις, δια την πωρωσιν της καρδιας αυτων.

Sentiamus igitur nos auxilio indigere divino, minime vero ad uſum eorum, quae oblata ſunt, ſegnes ſimus. Rurſus ubi operam damus haud ſegnem, perquam modeſti ſimus, bene memores, proprie et originetenus Deo omnem, et ab initio et in progreſſu, deberi ſucceſſum. μετα φοβου και τρομον την εαυτων σωτηριαν κατεργαζετε, ὁ θεος γαρ εςιν ὁ ενεργων εν υμιν και το θελειν και το ενεργειν, υπερ της ἑυδοκιας; modeſte et verecunde veſtrae operam date ſaluti, numquam non memores, Deum eſſe, qui pro ſua benevolentia optatis et orſis felicem largiatur ſucceſſum. Phil. 2, 12, 13.

Scholion

De legis et evangelii uſu.

Vulgaris et antiqua eſt verbi divini diviſio in legem et evangelium, iuſta et utilis quidem; licet voces iſtae certo illo ſignificatu, quem theologi receperunt, haud ubivis in S. S. uſurpentur.

1. Ex more theologorum finitiore *lex* eſt ea doctrinae ſanctioris pars, qua vitae regun-

Digitized by Google

dae praecepta continentur. Ergo omnis ſacrae ſcripturae de moribus et officiis doctrina, tamquam norma agendi a Deo praeſcripta, ad ſimilitudinem decalogi legis nomine κατ' ἐξοχὴν inſigniti.

Cum autem ex lege, hoc ſenſu accepta, diſci poſſit et debeat, quid a nobis poſtuletur, quid ſit peccare, quam ſit illicitum et noxium peccare, item nos revera peccare, ſequitur, lege iſta nos duci poſſe et debere ad reſipiſcendum, ad peccatum improbandum et dolorem de eo commiſſo concipiendum. „Lex arguit peccata et animum terret" ut ſummatim theologi loquuntur.

2. Evangelium vero ea eſt doctrinae ſanctioris pars, quae promiſſionibus continetur atque ad fidem et ſolatii fontem ducit. Ergo omnis de gratia Dei in Chriſto promiſſa et exhibita ſive de certa peccati venia eiusque cauſis doctrina. Quodſi laetior haec inſtitutio (ευαγγελιον) peccantibus gratiam veniamque promittit et offert, fieri non poteſt, quin eadem ad fiduciam tranquillam in illa Dei gratia promiſſa et exhibita ponendam (ad fidem) ducamur.

Quod ſummatim dicitur: evangelium nos ſolatur.

3. Iam ſi ſacros audiamus ſcriptores, clarum ſit, iſtam legis et evangelii ſignificationem finitiorem a theologis adamatam haud ubivis teneri, varios potius iſtorum verborum eſſe uſus.

Etenim תורה in V. T. eſt univerſa Dei doctrina Iudaeis nota, omnes ſine diſcrimine leges moſaicae, univerſum illud legis moſaicae corpus, quod pro arbitrio per tres claſſes diſtribuunt, moralem, eccleſiaſticam et civilem.

Digitized by Google

Hinc *νομος* in N. T. ſignificat *vel* omnes coniunctim leges moſaicas, quas Iudaei tenuere tum de moribus, tum de foro tum de ritibus ſacris, uno legis moſaicae nomine comprehenſas; Rom. 3, 20. 22. 8, 2. 2 Cor. 3, 6. *vel* totam Dei doctrinam Iudaeis notam Rom. 3, 19. *vel* cunctam doctrinam chriſtianam Gal. 2, 19. vel eius partem Rom. 3, 27. *νομος πιςεως*. cfr. 1 Cor. 9, 21. Sic legimus Paulo praeſertim auctore, diſciplinam moſaicam a chriſtiana ſeu legem ab evangelio diligenter ſeiungi; illam mortis eſſe nuntiam Rom. 3, 20. cp. 4, 15. 2 Cor. 4, 6. peccati incitatricem Rom. 7, 7. infirmam cp. 8, 3. *παιδαγογον εις Χριςον*: Gal. 3, 24. non iuſtorum gratia latam ſed ſceleribus reprimendis ſcriptam 1 Tim. 1, 9. *ειδως τουτο, οτι δικαιω νομος ου κειται, ανομοις δε και ανυποτακτοις, ασεβεσι και αμαρταλοις, ανοσιοις και βεβηλοις* etc. cfr. Gal. 3, 19. *νομος ετεθει παραβασεων χαριν* propter nequitiam et morum ferociam populi iſraelitici, quae lege moſaica erat coercenda.

Evangelium contra in N. T. libris eſt de integra Ieſu Chriſti doctrina, legi et diſciplinae moſaicae oppoſita Rom. 1, 16. *ἐυαγγελιον του Χριςου — δυναμις θεου εις σωτηριαν παντι τω πιςευοντι* cfr. cp. 16, 25. 1 Tim. 1, 11. Ex quo patet, etiam ex evangelio argumenta doloris de peccato capi poſſe et debere.

4. His dictis controverſiae, quae tempore Lutheri et inſecuta aetate de lege paſſim, non ſine verborum ambiguitate, iactatae ſunt, facile poſſunt componi. Fuere enim, qui *alii*, praeeunte Ioann. Agricola Islebio contenderent, legem moſaicam et oeconomiam V. T. ad chriſtianos religionisve chriſtianae diſciplinam mi-

nime pertinere. Dicti hi fere ſunt Antinomi et propterea praeſertim caſtigandi, quod incaute loquebantur, ideoque a multis ſiniſtre intelligebantur; *alii* pugnarent de eo, anne evangelium etiam dici debeat concio poenitentiae; *alii* denique dubitarent, an regenitis proponenda eſſet lex et inculcanda. Quae quidem ſententiae ut connexae fuerunt ita ad extremum in unam controverſiam abiere. cfr. Chemnitii Loc. P. 2. p. 710. ſq. P. 3. p. 207. et Mosheim. Inſt. H. E. p. 654.

Quaeſitum etiam in primis eſt, *an nos etiamnum decalogo teneamur*, hoc eſt, *formula* ea decem praeſcriptorum, genti civitatem ſuam inchoaturae, per Moſen, certo tempore, certas inter periſtaſes, cum certis argumentis et ſanctionibus, promulgatorum, ut eſſent illius civitatis lex fundamentalis.

Quae res facile expeditur, ſi teneas, Chriſtum veniſſe, ut veterem diſciplinam partim abrogaret, partim corrigeret et denuo ſtabiliret ſuae quidem diſciplinae bona quaevis adiuncturum.

Quare nihil ſimpliciter effutientes oſtendamus *partim*, quaenam decalogi praecepta poſtulent officia, quae et noſtra ſint officia. Neque enim omnia decalogi officia eiusdem ſunt generis, et nonnulla ut omnium hominum ita etiam noſtra ſunt officia. Videamus *partim* cur haec noſtra ſint officia, cur a nobis praeſtanda? an nominatim propter decalogum qua talem a nobis ſint praeſtanda et an obligationis noſtrae cauſa in illa ſit lege civitatis iudaicae fundamentali? Cur denique a Iudaeis debuerint praeſtari, obſtrictis nominatim decalogo qua tali?

Rem hoc modo expendentibus nobis apparebit, de cauſa obligationis e decalogo oriundae

Digitized by Google

potiſſimum eſſe diſputandum. Nos ergo chriſtiani illa in decalogo nominata officia debemus praeſtare, quia et quatenus omnibus hominibus ſunt communia, quia ratio dictitat et Chriſti doctrina confirmat. Cetera quae ab noſtra diſciplina ſunt aliena, ſuis relinquimus temporibus Col. 2, 16.

In univerſum denique moneo, chriſtiani eſſe doctoris, ut argumentis ad fidem et emendationem utatur a Chriſto et apoſtolis propoſitis, tempori quoque et hominum ingeniis, moribus et vitae rationibus inſerviens. Ergo auditores ad peccati agnitionem et dolorem adducat miſeriam peccati neceſſariam et communem, ad animum futuramque vitam pertinentem deſcribens, minime vero ea peccati mala, quae genti Iudaicae ut Iudaicae propoſita erant, denuncians; ne pro Chriſto παιδαγογον εις Χριςον retineat. Gal. 3, 24.

In adminiculis fidei et emendationis tum inchoandae tum perficiendae et conſervandae praeter baptismum etiam ſacram coenam et cetera religionis vel publica vel privata exercitia numerari, non eſt quod moneam; cum, quidquid ad pietatem faciat, a nobis obſervandum et tenendum ſit.

Sectio. VIIII.

De
rebus poſt hanc vitam futuris.

Quod hanc vitam proxime ſequitur, eſt mors, hoc eſt, naturalis corporis mutatio ea, qua, ineptum iam ad commercium cum animo continuandum ab hoc ſeperatur et in putredinem abit.

Animus corpori ſuperſtes in alium plane locum transfertur; in quem et quomodo, non liquet,

certe non interit. Luc. 16, 23. 2 Cor. 5, 4—8. Phil. 1, 23. 24.

Mors ipſa malis tantum terribilis eſt, quia aditum ipſis facit ad poenas male factorum iam certiſſime dandas. Luc. 16, 23. Hominibus vero pie viventibus mors in beneficiis ponenda eſt maximis, quippe qui poſt miſerias huius vitae exantlatas in beatas ſedes transferantur. Phil. 1, 21. Apoc. 14, 13. cfr. Io. 11, 11. Act. 7, 59. 2 Cor. 5, 2.

Animus autem poſt mortem manet *idem*, hoc eſt, ſui conſcius. Ex omni enim *rerum uſu* nihil repeti poteſt, quod hanc doctrinam impugnet; ipſa vero animi lex practica et ſcopus ab hac praefinitus, qui in fine ponitur bonorum ſequendo, ſatis ſuperque ſignificant, animum non ſolum aeternum debere vivere, ut infinitum aſſequatur ſcopum, verum etiam eumdem ſemper manere; ut ſanctitatis laude creſcat et in infinitum augeatur. Ad identitatem vero et perſonalitatem, quas dicunt, etiam perſtans et intemerata refertur ſui conſcientia. De qua nobis perſuadet S. S. Luc. 16, 22. cp. 23, 2 Cor. 5, 1—6. Phil. 1, 23. Apoc. 4, 8. cp. 5, 8. cp. 14, 13.

Cuncta vero diſciplinae chriſtianae praecepta ut ſunt ſalutaria et ſapientiae benevolentiaeque divinae plena, ita ipſis coronidem quaſi imponunt promiſſiones de rebus ſperandis et exſpectandis. Huc animi pertinet immortalitas, ſors poſt mortem futura vitae ante actae aequiſſime accomodata cum ceteris rebus ſibi adiunctis.

1. Una eſt et conſtans vox ſacrarum litterarum, nos poſt hanc vitam ſorte eſſe fruituros vitae ante actae conveniente et accommodata. Quod ita fore, ſacra ſcriptura partim ponit, partim promittit 2 Tim. 1, 10. Χριϛου καταργησαντος μεν

τον θανατον, φωτισαντος δε ζωην και αφθαρσιαν δια του ευαγγελιου. Recte quidem, omnis enim de vita futura ſpes nititur vel poſitione rationis credibiliore vel promiſſione ex lege moralitatis eiusque, quod ſequendum imperat, ſummo bono petita et conceſſa. Infinitum eſt, quod appetendum imperatur, infinita igitur ſit vitae prorogatio ut bono infinito aſſequendo par et ſufficiens ſit.

Iam diſciplina chriſtiana nobis ſanctitatem Dei ſequendam et Chriſti exemplum imitandum proponit, infinitum igitur eſt, quod proponitur, ergo vera etiam eſt, quae ponitur et promittitur, vitae perennitas.

Sacrae porro litterae docent, nos ſtatim a morte incipere illa frui ſorte et tenore continuo finem vitae futuraeque ſortis initia necti. Quando enim deſinimus in terris commorari, in coelo incipimus vivere. Aut hic ſumus aut ibi. 2 Cor. 5, 1—10. Phil. 1, 23. optabilius autem eſt, ibi eſſe quam hic; in coelo enim felicitate fruimur Luc. 23, 43. cfr. cp. 16, 19 ſq. Homines autem ſtatim poſt mortem ſuae ſortis fore compotes ex verbis elucet *νυν* (cp. 16, 25) et *σημερον* (cp. 23, 43)

Eius ſortis futurae initia ad animum pertinere diſerte dicuntur, nam corpora cernimus computreſcere et ſine ſenſu ac motu iacere. *ὁ Ιησους ειπε, πατερ, εις χειρας σου παραθησομαι το πνευμα μου* Luc. 23, 46. *κυριε, δεξαι το πνευμα μου* Act. 7, 58.

Ergo ex ſententia diſciplinae ſanctioris animi a corporis morte non ſuperſtites ſolum, ſed cum ſenſu et ſui conſcientia ſuperſtites erunt. 1 Cor. 15, 32. Act. 23, 8. Luc. 20, 27.

Nec quidquam eſt, quo nitantur, qui cum vita in his terris finitur, hunc putant hominis, quantus quantus eſt, interitum. Opiniones vero,

Digitized by Google

lethargum (ψυχοπαννυχιαν) aut ignem purgatorium defendentes ſacrorum librorum doctrinae prorſus repugnant. Lethargum eſſe volunt ceſſationem omnis actionis (ἐνεργειας) animi. Ignis purgatorius ſecundum coetus romani ſententiam ad hos pertinet, qui baptizati quidem et credentes ſed non perfecta virtute fuerunt ut moleſtia illius ignis perferenda ſatis fiat pro reſidua adhuc labe. Ceterum ignis purgatorius e graecis philoſophis in doctrinam chriſtianam illatus eique vis emendandi adſcriptus eſt. Quem deinde etiam concilium Florentinum a. 1439. defendendum eſſe ſanxit, adſcripta tamen ei vi ad luendum et ſatis faciendum. v. Chemnit. Examen concil. Trident. p. 524. ſq. Origenis ſententia, Platonicae in Phaed. c. 62. expoſitae germana ab igne pergatorio duplici modo differt; nam origeniana illa καθαρσις ad omnes omnino pertinet et habet conſilium emendandi, emendandoque in integrum reſtituendi. v. Huetii Origeniana 2, 11. et Dietelmaieri hiſtoria commenti de omnium apocataſtaſi. p. 109. et 155.

2. Sub finem eius qui nunc eſt, mundi, hoc eſt, tum cum nulla amplius in his terris erit eccleſia Apoc. 20, 11 ſq. 1 Cor. 15, 24. perget autem eccleſia ad finem mundi Matth. 28, 20. omnium omnino mortuorum corporibus vita reſtituetur. 1 Cor. 6, 14. ὁ δε θεος και τον κυριον ηγειρε και υμας ἐξεγερεῖ δια της δυναμεως ἀυτου. cfr. cp. 15, 42. 53. Phil. 3, 21. Idem igitur illud corpus, quo nunc utimur, in melius mutabitur et reſtaurabitur; ut veteres dixere, σωμα τουτο μεν, ἀλλ᾽ ὀυ τοιουτο reſurrecturum eſt (ἀναςασις της σαρκος). Difficultates, quae ob corporis putredinem et in alia corpora abitum moventur, facile diſpelluntur, ſi teneas, ex ſemine tamquam ſparſo excellentius proditurum eſſe invo-

Digitized by Google

lucrum. Semina autem poſſunt vel ſervari vel repeti, etiamſi partes craſſiores diffuſae fuerint. Quamquam, quo id modo futurum ſit, nemo intelligat; at quis eſt, qui intelligat, quo modo ex putrefactis ſeminibus fruges excellentiores enaſcantur?

Sublatis igitur corporum huic vitae propriis attributis corpora reſtituentur *αφθαρτα* et immortalia. Etenim *το φθαρτον, ατιμον, ασθενες, ψυχικον, χοικον* interibit, atque eximium quid (*εν δοξῃ*), omni deſtructione validius (*εν δυναμει*), in ſe vitam motumque habens, tamquam ſpiritus, non ſuſpenſum ab aeris acceſſione et adminiculo, (*πνευματικον*, et ſimile ei, quod Chriſtus vitae redditus habet, hoc eſt, mortis expers reddetur. Luc. 20, 36. 1 Cor. 15, 36 ſq. Rom. 6, 9. Phil. 3, 21.

Atque iſta in melius mutata corpora cum ſuis coniuncta animis ſua fruentur ſorte, quod niſi eſſet, non meum eſſet corpus, quod recepturus ſum.

Et ii etiam, qui reſurrectionis tempore adhuc in vivis erunt, talia accipient corpora; mutabuntur enim aeque ac dudum mortui 1 Cor. 15, 51. Dudum autem mortui mutabuntur ſic, ut pro corpore *φθαρτῳ* accipiant *αφθαρτον*, ut corpus *ταπεινον* mutetur in eximium Phil. 3, 21. Ergo et vivi adhuc ſic mutabuntur.

3. Is autem per quem talia in melius mutata corpora recipiemus, eſt Chriſtus cum a Deo patre omnino dominus conſtitutus tum ad operis ſui partes peragendas etiam hoc in mandatis habens. Eſt enim *υιος ανθρωπου* ſeu Meſſias atque talis etiam ultimum ſui operis adverſarium debet tollere 1 Cor. 15, 25. 26. *δεῖ γαρ αυτον βασιλευειν αχρις ὁυ αν θῃ πάντας τους εχθρους υπο τους ποδας ἀυτου. εσχατος εχθρος καταργειται ὁ θανατος.* cfr. Io. 5, 21. 26. 28. 1 Theſſ. 4, 14. 17.

Digitized by Google

Tempus reſurrectionis mortuorum incertum eſt, nec calculis temere definiendum. Matth. 16, 36. Act. 1, 7. 2 Petr. 3, 10.

4. His ita peractis, cum non amplius homines in terris ſic vivent ut nunc quidem vivunt, aderit tempus iudicii, quod *κατ' εξοχην* iudicium de generis humani univerſitate dicitur, et chriſtianorum conſuetudine iudicium extremum. Rom. 2, 5. 6. *ἡμερα οργης και αποκαλυψεως δικαιοκρισιας του θεου; ὁς αποδωσει ἑκαςῳ κατα τα εργα αυτου.* Etenim univerſitas generis humani, nullo homine excepto aut relicto, iam tandem vitae ante actae accipiet praemia iuſtiſſima, *κατα γνωσιν* Rom. 2, 12 ſq. *κατα εργα* 2 Theſſ. 1, 5 ſq. Luc. 12, 47.

Stabit enim evidens et aeternum immutabile bonorum malorumque diſcrimen *και συναχθησεται εμπροσθεν αυτου (Χριςου) παντα τα εθνη, και αφοριεῖ αυτους ἀπ' ἀλληλων, ὡσπερ ὁ ποιμην αφοριζει τα προβατα απο των εριφων.* Matth. 25, 32. Atque ita genus humanum experietur re et facto, nihil ſe inſtitutioni Dei aeternum verae poſſe ſubtrahere, omnes Deo debere rationem reddere, omnes ſubeſſe Chriſto domino, per quem Deus pater opus ſuum peracturus, per quem et propter quem ſuam quilibet ſortem accepturus ſit. Io 5, 27. Act. 10, 42. cp. 17, 31.

5. Suam quemque hominem mercedem eſſe deportaturum vel ſpeciatim docetur vel tota diſciplinae ſanctioris ratio loquitur. Quaeritur vero etiam de forma diſquiſitionis; utrum adſpectabile quid exſpectandum ſit; quod quidem eodem tempore ad omnes pertineat, tum eos, qui dudum fuerant beati miſerive, tum illos, qui ad illud usque tempus ſuperſtites vixerant.

Et cogitari etiam poteſt, quo adſpectabile illud referri queat; ad declarandam fortaſſe ſingu-

lari cum evidentia Chriſti domini dignitatem Matth. 25, 31.; quippe qui ius et poteſtatem omnibus omnino ſortem ſempiternam addicendi et hoc modo omnibus πιςιν et facta remunerandi habeat; aut ad eos, qui iudicabuntur, de mercedis iuſtitia ſingulari prorſus modo convincendos, in utramque partem, ex renovata vitae omnis ante actae memoria; aut denique ad notitiam eorum omnium mutuam, quibus ſors adiudicabitur. Neque a ratione abhorret, tale quid futurum, cum haud capiamus, quo modo adſpectabile quodcumque ab experientia noſtra etiam futura et perenni prorſus auferri poſſit.

Deſcriptiones porro in ſacris litteris paſſim obviae Iud. 6. Matth. 13, 41. et loci Chriſto proprie hoc opus aſſignantes et miniſtrantium angelorum mentionem iniicientes ad aliquid adſpectabile exſpectandum adducunt. Quid autem et quale ſit futurum, quis auſit definire, cum Chriſtus ſermonem de iudicio extremo cogitandi ratione vulgari attemperaverit, iisque uſus ſit loquendi formulis, quae in foro humano adhiberi ſolebant. Ceterum vero ipſam tanti orſi horam latere et ſignis tantum modo quibusdam antecedentibus ſignificatum iri legimus 1 Theſſ. 4, 16. 17. 2 Theſſ. 2. 3. Veniet Chriſtus in aëre, per aërem ipſi beati admovebuntur. Opinio de adventu Chriſti in valle Ioſaphat (ex loco Ioel. 3, 1.) ridicula eſt.

5. Iudicio autem hoc, quocumque certe ſolemni et inſigni modo, peracto ſuam quisque ſortem accepturus dicitur, ita ut poſt hanc vitam vel beati ſimus vel miſeri. Quod variis nominibus in Sacris S. indigitatur. Beatitudo promittitur nomine σωτηριας 1 Petr. 1, 9. miſeria nomine ολεθρου 2 Theſſ. 1, 8. απωλειας Phil. 3, 19. Dogmatica haec ſunt verba, a quibus tropi pendent obvii Rom. 2,

Digitized by Google

7. 8. Luc. 16, 23. 2 Theſſ. 1, 6. 7. Apoc. 20, 14.; etiam nomina *βασιλεια επουρανιος* 2 Tim. 4, 18. *αιωνιος βασιλεια* 2 Petr. 1, 11. exſilium et *αφορισμος* ex hoc regno 1 Cor. 6, 10. variaeque effigies paradiſi, epuli, lucis, ignis vermium, caliginis, item nomen *ουρανος*, *εν ουρανω ειναι*, et formulae *ειναι παρα τω θεω και Χριςω*, *οπτεσθαι θεον*, hoc eſt, cognoſcere, eius beneficientiam experiri, cum nobis licet, quippe puris, proxime eum verſari, eum quidem recte colentibus 1 Io. 3, 2. Ebr. 12, 14. Matth. 5, 8.

Sors autem futura nobis accidet tum ad cognitionem noſtram, tum ad animorum noſtrorum erga doctrinam affectionem, *πιςιν*, tum ad ante actae vitae rationem accommodate Marc. 16, 16. *ὁ πιςευσας και βαπτισθεις σωθησεται, ὁ δε απιςησας κατακριθησεται.* Io. 17, 3. *αυτη δε εςιν ἡ αιωνιος ζωη, ἱνα γινωσκωσι δε τον μονον αληθινον θεον, και ὁν απεςειλας Ιησουν Χριςον.*

Beatitatis vero miſeriaeve futurae plenam perfectamque deſcriptionem nusquam reperimus, *ουπω εφανερωθη*, inquit Ioannes 1 ep. 3, 2., *τι εσομεθα, οιδαμεν δε οτι εαν εφανερωθη, ομοιοι αυτω εσομεθα, οτι οψομεθα αυτον καθως εςιν.* cfr. Col. 3, 3. *απεθανετε γαρ, και ἡ ζωη ὑμων κεκρυπται συν τω Χριςω εν τω θεω.* Pariter locus, in quo verſaturi ſint beati miſerive, nusquam definitur; etenim *το εν ουρανω ειναι* magis ſtatum conditionemque indicat hominis, quam locum certum.

Tenendum igitur ante omnia, quod eſt caput rei, bona nempe et mala futurae *nexa* eſſe e vita ſuperiore ut ex antecendenti conſequens; ſua quemque praemia eſſe laturum, non mere arbitraria commoda incommodave. Vitam antecedentem conditio ſequetur futura ad ſuperiorem vitam exacte accommodata; et futura ſelicitas hactenus

Digitized by Google

eſt beneficium (Χαρις Rom. 6, 23.) quatenus peccator tamen redditur felix; hactenus praemium, quatenus in tantum fit felix, in quantum ipſe non impedivit et eius vita ante acta patitur.

Igitur indignum Deo ſtatuit, qui praemia mere arbitraria hoc ponit ſenſu, ut neque in natura Dei animique noſtri neque in vita ſuperiore cauſam habeant; ſed lubitu divino eveniant tali ut ſtet quaſi pro ratione voluntas, ut nullius rei ratione habita illis bene ſit, his male, illi beneficio hi poena afficiantur. Quo commento omnis et beneficii et poenae vis et notio, omnis naturae divinae humanaeque ratio evertitur. Chriſtiana diſciplina autem enunciat, Deum judicaturum eſſe κατα γνωσιν, πιςιν, εργα.

6. Futurae porro vitae ratio haud talis erit, ut coelites in otio quaſi et deſidia mera remunerationis fruitione et inerti ſuavitatum arbitrariarum perceptione delectentur, verum incrementa potius capturi dicuntur beati praeſertim quique, tum cognitionis his in terris inchoatae tum virtutum perenni exercitio excolendarum. Cognoſcemus Deum vere ut eſt, accurate et ſine errore 1 Io. 3, 2. perfectius, quam in hac vita contigerat, οταν δε ελθη το τελειον, τοτε το εκ μερους καταργηθησεται. 1 Cor. 13, 10. et v. 8. ἡ αγαπη ουδεποτε εκπιπτει; aeternum virtutis, pietatis et amoris eſt exercitium. Ergo etiam vita futura et beata ſemper nexa erit cum ante acta eritque continuatio cognitionis, fiduciae, virtutis, pietatis, celebrationis et cultus veri Dei etc. Qua progreſſione et occupatione quid intelligenti naturae beatius exiſtimari poteſt?

7. Erit autem multiplex beatorum et miſerorum diverſitas, multi erunt felicitatis futurae gradus, aliusque alio beatior miſeriorve eſt futurus.

Digitized by Google

Matth. 10, 15. cp. 11, 22. 24. Luc. 12, 46 ſq. Etenim facile eſt intellectu, cognitionis in his terris inchoatae actaeque hic vitae diverſitatem, diverſumque praeſidiorum ad felicitatem communium uſum habitorum etiam eſſe et continuationis et praemii diverſitatem. Ultra vero haec duo, partim cognitionem et facta, partim communia omnibus diſcendi agendique praeſidia communemque omnibus praeparationem, ut futurae diverſitatis cauſas, nobis haud progrediendum eſt, nec alias diverſae felicitatis menſurae cauſas coniectemur; ut v. c. e rebus fortuitis, quae in aliis aliter eveniunt, concludamus eos ideo (ob res fortuitas) plus minusve felicitatis eſſe habituros Matth. 19,27-30 cp. 20, 1-7. *ὅ εαν ῃ δικαιον, ληψεσθε.* Teneamus unam hanc regulam, Deum remuneraturum eſſe *κατα γνωσιν, πιςιν, εργα.* Quae eſt regula iudicis iuſtitia recti.

8. Corpore coelites excellentiori indutum iri, ſuatiliori, ad opera ſuſcipienda aptiori, immortali Matth. 26, 46. Io. 11, 25—26. 1 Cor. 15, 42 ſq. et ad ſobolem procreandam haud comparato, Matth. 22, 30., legimus quidem, ipſa porro animi a corpore caduco rebusque huius vitae fluxis ſeparatione multas tolli aerumnas conſtat, atque in hoc partem beatitatis in univerſum proſpici, certum eſt; at, quatenus corpus excellentius, quod reſuſcitabitur venturum ſit in ſocietatem ſortis futurae, et an bona ſibi propria habiturum ſit, non liquet. Opiniones igitur de corporum futurorum eximia agilitate, ſubtilitate, ſplendore, de acutiorum ſentiendi inſtrumentorum praeſtantia opinabiles quidem ſunt, ultra vero opinionis poteſtatem haud aſſurgunt. Omnes enim de corporum futurorum attributis opiniones finitiores lubrico nituntur fundamento.

Quare ſi ea, quae de futura beatitate revelantur, ſummatim collegeris, his fere continentur ſententiis.

Cernitur beatitas in conditione proborum aeternum duratura cum ante acta vita cohaerente, non modo nexu remunerationis iuſtiſſimae iuxta eorum cognitionem, fidem et facta, haud ſine multa tamen beatorum invicem diverſitate, ſed et nexu continuationis ſcientiae virtutisque cum progreſſione, accommodate ad initia his in terris facta, haud ſine diverſitate quidem beatorum nec ſine occupatione; ſocio beatitatis corpore aerumnarum huic vitae propriarum experte.

9. Iſta quidem futura vel beatitas vel miſeria fore dicitur aeterna Matth. 25, 46. 2 Theſſ. 1, 9. Sic ut duo manent diverſa ſyſtemata, unum beatorum, miſerorum alterum, quae numquam, diſcrimine ſublato, in unum coniungentur, nec umquam ſortis commodioris ſimilitudine aequabuntur.

De beatitatis aeternitate nemo pugnat; de miſeriae vero aeternitate dubitari ſolet. Vox autem *αιωνιος*, quae in ſacris S. de hac re uſurpatur, longiſſimum quidem temporis ſpatium etiam ſignificat, at eſt tamen in hac re de ſempiternitate accipienda vel propter appoſita paritatem rationis innuentia vel propter ſynonima, vel propter deſcriptiones, notionem ſempiternitatis, haud longi ſolum temporis, continentes. Matth. 25, 46. *κολασις* aeque ac *ζωη αιωνιος*. cfr. Io. 3, 36. Marc. 9, 44. 46. Apoc. 20, 10

Opinio de rerum omnium apocataſtaſi, eo usque pertinente, ut et mali ſpiritus emendati tandem refluant ad Deum compotes felicitatis, e quo Deo veluti particulae emanarint; nullo nititur fundamento. Etenim de commento iſto Act. 3, 21. ni-

hil profecto legitur. Locus habet de rebus, prophetarum ſermone praedictis, deinceps durante mundo ita integris futuris, ut nulla, quae fieri debuit et praedicta fuit, ad integritatem deſit et ſuam habeant omnes ac ſingulae integritatem.

Graviſſima denique dubitatio philoſophando obiicitur. Et ſunt, qui argumentis iſtis vix ita reſponderi poſſe credant, ut omnis obſcuritas et fluctuatio removeatur.

Monemus tamen, quod ad modeſtiam animis ingenerandam non ſatis repeti poteſt, nos neſcire, quid illa futurae miſeria, finite quidem et determinate quod ad damni praeſentiam et vacuitatem ab oppoſita felicitate; quare modeſtiae non eſt, ſi quid, ut αδυνατον, praefracte negare auſus ſis. Neſcimus porro, quae unius ab altero in illo infelicium ſyſtemate ſit diverſitas, quare de omnibus promiſcue, tamquam omnium ſit eadem conditio, rem praefracte negare nefas eſt. Neſcimus denique, an iſti redituri ſint ad ſe, et reſipiſcentes aliquo modo, (quod et fieri poteſt, et a veri ſimilitudine haud abhorret), habituri inde ſint ſuae ſortis levamentum, at ſero demum inchoatum nec aequans eos beatorum felicitati; quare, eos damnum perverſitatis, ex ipſa hac levamenti alicuius tarditate derivandum, ſine fine eſſe laturos, praefracte negari certe nequit, cum citius potuisſent levari aut omnino vere felices fieri.

Huc accedit, quod ſtante iuſtitia divina, non minus erga probos quam reprobos aequabili et ſevera, philoſophice monſtrari nequit, quo modo diſcrimen, quod inter honeſtatem atque turpitudinem intercedit tollatur; quo minime ſublato ſtabit etiam diſcrimen inter conſecutiones eas, quae honeſtati nexae ſunt, atque eas, quae turpitudinem urgent. Quo ſtante diſcrimine et aeternum

durante aeternitas miſeriae male factis nexae tolli nequit. Ergo manet nexus ſemper idem, ſua factis cuiusque attemperabitur ſors; ſemper manet diſcrimen malos inter atque bonos, miſeros inter atque beatos; duo manent ſyſtemata, malorum unum, alterum bonorum, miſerorum igitur etiam unum, beatorum alterum. Haec mentium in univerſum futura eſt conditio. Hoc autem non impedit, quo minus ſingulae poſt exantlatos labores tolerabiliore ſenſim frui incipiant ſorte, ſi quidem ad ſe redierint. Eaedem tamen aliis ſe ſuperibus comparatae hoc reſpectu ſunt eruntque minus felices, quia minus ſunt probae.

Res igitur ex ſententia diſciplinae chriſtianae atque haud refragantibus ſimul philoſophiae argumentationibus, hoc fere redit:

Quilibet, qui his in terris aut *απιϛος*, doctrinae divinae ſpretor, aut *ανομος* fuit, aut utroque malo laboravit, is olim, alius aliter, in ſuo quisque genere, illius apiſtias aut onomias damna feret, eaque ad menſuram iuſtiſſimam conſtituta, (effectus noxios, quorum cauſa in ipſo eſt, nullo autem modo cruciatus arbitrarios extrinſecus volente Deo immiſſos tantum modo ut male illi ſit) et ita porro feret, *ut* numquam addatur eorum ſocietati, qui propter *πιϛιν* et *εννομον βιον* felices cum Deo patre et Chriſto ſunt, et *ut*, etiamſi reſipuerit, atque damna, quae fert, leniantur, numquam aequet felices illos aut ad propoſitam *τῃ πιϛει και τῃ κατ᾽ ἐυσεβειαν ζωῃ* felicitatem perveniat; ſed iis in aeternum poſtpoſitus maneat. Certe iſte ſemper carebit vitae hic recte actae praemiis; egerat enim eam perverſe; haec felicitas haud parva ei ſemper deerit. Damna vero, quae feret, cum nos quidem definire nequeamus, nihil etiam

Digitized by Google

de poſſibili vel impoſſibili in his damnis evidenter iudicare poſſumus.

Quodſi quis rem diligenter et circumſpecte cognoverit, apparet, ſacrorum ſcriptorum ſeveritatem et quaſi auſteritatem non ſolum rationi ſobrie philoſophanti non refragari, verum etiam finibus bonorum promovendis optime conſulere. Et profecto, non tam caremus, qui prave factorum conſequentiam elevemus, quam qui efficiamus, ut ipſi pravitatem fugiamus et aliis fugiendam demonſtremus.

10. Cum iudicio extremo coniuncta erit mundi transformatio. Qua de re diverſae ſunt theologorum ſententiae. Hoc certe docemur mundum hunc interiturum eſſe, eumque interitum igne effectum iri. Pſ. 102, 26. Matth. 5, 18. *λεγω υμιν, εως αν παρελθη ὁ ουρανος και ἡ γη* — cp. 28, 20. *και ιδου, εγω μεθ' ὑμων ειμι πασας τας ἡμερας, εως της συντελειας του αιωνος.* cfr. Apoc. 20, 11. 2 Petr. 3, 7 ſq. ubi diſerte diſputatur contra eos, qui, quod inde a creatione ſua mundo conſtet incolumitas nec ulla ſint reſurrectionis veſtigia, dubitabant, eum aliquando interiturum, doceturque, partim non verum eſſe, omni aevo incolumitatem telluri conſtitiſſe; quae quidem graviter vaſtata ſit; partim quemadmodum olim in natura ipſa fuerit aqua, (quae eſt mundi pars) qua tellus vaſtaretur, ita olim integrum mundum aliqua ſui ipſiusmet parte, igne vaſtari poſſe et vaſtatum iri.

Ambiguum tamen manet, ſitne Deus mundum penitus deleturus et in nihilum redacturus; quod ſacra quidem ſcriptura nuspiam docet. Etenim locus Luc. 21, 33. et ſimilia loca tale quid haud loquuntur.

Quare cum ſacrarum S. teſtimoniis convenientius credimus, hunc mundum diſſolutum iri, diſ-

Digitized by Google

ſolutum vero inſtauratum et igne quaſi purgatum in alium meliorem mutatum iri; quod eſt παρερχεσθαι et συντελεισθαι. 2 Petr, 3, 10 — 13. Huic praeterea ſententiae plurimi faverunt eccleſiae primaevae ſcriptores, Origenes, Hieronymus, Auguſtinus, ut et Lutherus, Brentius aliique viri egregii.

Quae de novo dicuntur mundo, noſtram hanc in terris commorationem ſecuturo, ea tropice quidem capienda ſunt et ſtatum beatorum alium eumque meliorem innuunt, ut ſit novus mundus excellentiori modo colentium conditio, ἐν οἱς δικαιοσυνη κατοικει 2 Petr. 3, 13. Apoc. 21, 1 ſq. opponitur hic ſtatus illi, qui miſerorum futurus eſt. v. 8. At quamquam haec ita intelligenda ſunt, credibile tamen etiam eſt, et verbis conſentiens, fore etiam adſpectabilis mundi inſtaurationem beatiori piorum coelitum conditioni adiunctam. Etenim totius naturae, quae nunc eſt, unius interitu adalterius ortum utentis, analogia hoc ſuſpicari patitur, quod et exemplo aliquo e promiſſionibus divinis petito confirmatur, fore ut corpora (quae adſpectabilis mundi ſunt partes) quae morte interierant, aliquando in melius reſtaurentur. Accedit, quod Rom. 8, 19 ſq. innuitur, rerum naturam olim non tam caducam fore, ut nunc eſt, ſed fragilitate exemptam, plus perpetuitatis habentem.

Ergo per novum mundum non meliorem ſolum beatorum, Deum meliori modo reverentium, conditionem, ſed adſpectabilis quoque mundi rerumque ſub ſenſus cadentium excellentiorem omnino naturam, igne quaſi purgatam et in melius transformatam tam per rationem philoſophantem et naturae, qualis nunc eſt, analogiam, quam per ſacrorum ſcriptorum effata licet intelligere.

In cauſis cur Deus mundum etiam adſpectabilem ſit inſtauraturus, non eſt argutandum. Fuere

enim, qui hanc inſtaurationem partem cenſerent eius *αποκαταςασεως παντων* alteram, cuius unam in omnibus ſpiritibus, malis etiam ad Deum, ex quo emanarint ut particulae, reducendis poſuere. Sed affingunt etiam, mundum adſpectabilem tum, cum conditus eſt, fuiſſe meliorem, poſtea vero per peccata deteriorem redditum, et propterea eum olim in integrum reſtitutum iri. Quae opinio nullo nititur fundamento.

Quod ſi tamen liceat in re tam remota et recondita opinari, ego cauſam inſtaurandi mundi etiam adſpectabilis repetierim ex ſpe, fore, ut mentibus, viribus et virtute adauctis convenientior adiungatur ſenſibilis natura, convenientius agendi theatrum et ſtabilior exercendi quaſi palaeſtra. At praeſtat, modeſte exſpectare, quid et quale ſit futurum.

Pariter in ſignis, reſurrectionem mortuorum, iudicium extremum et interitum mundi praenunciaturis non eſt haerendum. Evidenter enim, proprie et certo in hanc rem nihil finitur, cum loca Matth. 24. Marc. 13. Luc. 21. ad cladem Hieroſolymorum et Paleſtinae ſecuturamque evangelii propagationem praedicendam poſſint referri, locus 2 Theſſ. 2, 1—13. ex omni parte obſcurus ſit, et Deus omnino futura nos latere voluerit.

Satis denique nobis ſit intelligentibus, omnia doctrinae ſanctioris capita facere ad pietatem, honeſtatem, tranquillitatem et ſpes laetiſſimas.

Digitized by Google

CONSPECTUS. VOL. II.

Introductio. De methodo religionem chriſtianam tradendi, cum populari, tum ſubtili, deque fundamento huius religionis univerſo et inde aeſtimandis articulis, qui dicuntur, fundamentalibus, de analogia ſidei etc. p. 3.

CAP. I.

De Deo.

Sect. 1. Notionis de Deo origo, vis et ambitus. . p. 42.

Sect. 2. De argumentis, quibus Deum eſſe, monſtrari volunt, ex ontologia, cosmologia et phyſiologia petitis. . . . . p. 52.

Sect. 3. De argumentis ex teleologia in univerſum ad Dei exiſtentiam demonſtrandam petitis. — A. introductio. B. de ſyſtemate teleologico in exterioribus rerum organicarum rationibus conſpicuo, deque ultimo naturae, ſyſtematis teleologici, ſcopo. C. de fine mundi creati finali ſeu abſoluto. D. de teleologiae vi ad phyſicotheologiam. E. ad ethicotheologiam. . . . . p. 63.

Sect. 4. De argumentis ex ethicologia ad Dei exiſtentiam evincendam petito. A. argumenti expoſitio. B. de argumenti moralis poteſtate. C. de eiusdem utilitate. D. De certitudinis modo, qui in argumento morali cernitur. E. de certitudinis modo per fidem practicam. . . . . p. 83.

Sect. 5. De limitibus noſtrae de Deo cognitioni per noſtras cognoſcendi anguſtias ſcriptis. Schol. 1 et 2. p. 102.

Sect. 6. Dolendumne ſit, quod tam anguſtis noſtram de ſe cognitionem terminis Deus circumſcripſerit. . . . . p. 116.

Sect. 7. Doctrinae de Deo divinitus revelatae expoſitio. A. Notio de Deo. B. exiſtentia Dei. C. Nomen Dei. D. virtutes Dei. I. de ethicis Dei virtutibus. a. Deus eſt ſanctus. b. beatus. c. ſapiens. — Schol. —

Digitized by Google

tranſitus. d. Deus ſanctus eſt creator et legislator. e. benignus rerum rector et gubernator. f. iuſtus mentium cenſor et iudex. g. verax. h. gratioſus. Schol. de decretis divinis. II. De ontologicis et phyſiologicis Dei virtutibus. a. Deus eſt perfectiſſimus. b. eſt unus. c. neceſſarius et non dependens. d. aeternus ac immutabilis. e. immenſus ac omnibus praeſens. f. potentiſſimus. g. liberrimus. h. perfectiſſimae mentis. i. ſummae maieſtatis et gloriae. — Appendix expoſitionis de Dei virtutibus ſummam exhibens. — D. de Deo patre, filio et ſpiritu ſancto. . . p. 119.

CAP. II.

De rebus a Deo creatis.

Sect. I. De creatione univerſi. . . . . p. 209.
Sect. II. De naturis mundi intelligentibus. . . . p. 215.
Sect. III. De univerſi gubernatione. . . . . . p. 243.
Sect. IIII. De prima telluris conſtitutione. . . . p. 259.

CAP. III,

De genere humano.

Sect. I. De ultima generis humani origine. . . . p. 273.
Sect. II. De natura generi humano concreata. . . p. 279.
Sect. III. De prima primorum parentum conditione. p. 282.
Sect. IIII. De primo primorum parentum peccato. p. 291.
Sect. V. De hominum imperfectione et labe morali, de peccatis, poenis et miſeria inde conſequente. p. 298.
Sect. VI. De gratia Dei ad generis humani ſalutem procurandam efficaci et opportuna. . . . . p. 327.
Sect. VII. De modo gratiae et ſalutis conſequendae a Deo praefinito. . . . . p. 338.
Sect. VIII. De adminiculis a Deo ad gratiam et ſalutem conſequendum ordinatis. De verbo divino. p. 364.
Sect. VIIII. De rebus poſt hanc vitam futuris, de morte, reſurrectione, iudicio extremo, mundi transformatione. . . . . p. 383.

Digitized by Google